



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio XVIII. De Continuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)



LIBER VI.

PHYSICORVM.

Icy libro quinto egit Philosophus de unitate numerica & specifica motus, ita hoc libro agit de partibus integralibus, ex quibus integratur, & fit vnum continuum, seu vnum quid integratum, & constitutum ex partibus inter se continuatis.

DISPUTATIO XVIII.
DE CONTINVO.

Quia omnes difficultates, quæ sunt de motu, quantum ad hoc æque concludunt de quocumque continuo; propterea consultius est quæstiones proponere de continuo vt sic.

QVÆSTIO I.

An dentur partes actû in Continuo?

Per Continuum intelligitur hic quodcumque compositum ex pluribus partibus integralibus continuatis inter se ac unitis physice sic, vt vna pars non possit moueri motu progressiuo, quin cæteræ partes, cum quibus continuatur, etiam moueantur, nisi ablata vnione discontinuentur, & per hoc facile distingui possunt ea, quæ continuantur, ab ijs, quæ contiguantur, nam hæc, nempe contigua, sunt, quæ tangunt se inuicem absque vnione physica & quorum propterea vnum moueri potest localiter, immoto altero; vnde nec cõstituunt vnum quid nisi per aggregationem: ex quo patet bene distinxisse Philosophum continua & contigua, quod, quæ continuantur, faciunt vnum quid, quæ vero contiguantur, non faciunt vnum.

Prima sententia est in continuo non dari partes actu realiter distinctas, sed solû in potentia, ante designationem, quæ fit per intellectum, aut per aliqua accidentia distinctæ rationis. Hanc tenent aliqui recentiores citantes pro se *Simplicium, Auerroem, D. Thomam, Durandum, Capreolum, Gregorium*, quos tamen ab hac sententia vindicant alij. *Camerarius* 2. p. q. 18. absolute ait partes non esse inter se actu distinctas in cõtinuo; sed id explicat sic, vt idem sit, ac partes in continuo non esse actu secundum multitudinem realem, licet sint actu secundum entitatem suam, & eam sententiam putat esse *D. Thomæ, Scoti*, & antiquorum communiter.

Secunda sententia est reuera dari in continuo plures partes actu realiter distinctas ante omnem designationem per quodcumque extrinsecum factam. Hæc est sine dubio communissima cum *Scoto* in 2. d. 1. q. 3. ac 4. d. 12. q. 4. & *D. Tho. 5. met. c. 1. 2. lect. 15.* quos præter suos sequuntur *Comimbrienses, Ruinius, Suarez, Hurtadus, Auer- sa, Arriaga, Complutenses.*

CONCLUSIO

2 Dantur in continuo quolibet plures partes actu, quæ ante omnem designationem factam per extrinsecum quodcumque distinguuntur realiter. Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam, quæ tam absurda *Hurtado* visa est, & sane merito, vt propterea dixerit nullam esse fœditatem sine amatore, nec fatuitatem sine patre.

Probatur prima pars primo, ex descriptione continui data à Philosopho, nempe quod sit illud, quod componitur ex partibus copulatis termino communi, ac facientibus vnum; ergo habet partes actu, quod enim actu componitur habet actu partes, ex quibus componitur.

Confirmatur ex definitione, quam dat Philosophus, Quantitatis, quod sit diuisibilis in ea, quæ insunt: ergo

quantitas habet actu partes in quas potest diuidi, secundum Philosophum.

Respondet Camerarius, solû velle Philosophum, quod in continuo sint partes assignabiles.

Contra: quia si nõ essent ibi partes actu, non essent ibi assignabiles, assignari enim in aliquo vere nequit, nisi quod est in ipso actu.

Idem ad confirmationem respondet, solum haberi, quod in continuo sint partes, quoad entitatem, non vero quoad distinctionem.

Contra: quia eo ipso, quo habent entitates actu, habent actu quod vna non sit altera, & consequenter, quod sint distinctæ.

Probatur secundo: quia totum actuale in hoc distinguitur à toto partiali, quod hoc non habet partes actu, illud vero habet: sed continuum est totum actuale: ergo habet actu partes.

Confirmatur: quia totum, vt totum, dicit ordinem ad partes, ergo totum actuale ad partes actuales, & consequenter, quod est totum actuale, habet partes actu.

Confirmatur: quia ridiculum est dicere, quod Petrus, v.g. non habeat actu manus, pedes, caput: ergo continuum habet actu partes.

Aliqui respondent, continuum conflatum ex partibus heterogeneis habere partes actu, non vero quod componitur ex heterogeneis.

Sed contra: quia tam ridiculum est, Oceanum non habere actu plures amphoras, aquæ, quam vnum dolium aquæ, ac Petrum non habere actu manus, & pedes: ergo etiam continuû homogeneum habet actu partes. *Deinde* eadem est ratio de continuo heterogeneo, ac homogeneo quantum ad hoc: propterea enim homogeneum non haberet actu, quia vniuntur, & ipsi sunt vnum quid: sed partes heterogeneæ etiam vniuntur, & ipsi sunt vnum quid: ergo idem de vtroque dicendum.

Probatur tertio: quia quando continuû diuiditur, vel diuiditur in partes, quas habet, aut quas non habet. Secundum dici non potest; neque enim partes, quas nõ habet, sunt eius partes: ergo dicendû est primum, & consequenter fatendum, quod cõtinuum habeat actu partes.

Confirmatur primo: quia alias, qui diuideret partes ligni produceret illas, quod est absurdum.

Confirmatur secundo: quia duæ aquæ ante continuationem erant partes continui in potentia: ergo post continuationem erunt partes actu continui.

Confirmatur tertio: quia inter duas aquas, quæ erant discretæ, & postea continuantur, vel datur vnio realis, vel non datur; si datur: ergo dantur & ipsæ entitates aquarum actu; sed neutra ex ipsis est totum continuum: ergo est pars cõtinui, & cõsequenter dabitur pars actu in continuo. Si nõ datur: ergo istæ aquæ erunt iam actu post continuationem, sicut erant ante, quod implicat.

Probatur secunda pars Conclusionis: quia vna ex partibus continui potest esse à parte rei sine altera, & cõtra ergo distinguuntur realiter ante omnem designationem, quæ fieret per intellectum vel per aliquid extrinsecum ipsis.

Probatur secundo: quia duæ aquæ continuatæ antequam vniuntur, erant distinctæ realiter: ergo & postquã vniuntur; quæ enim semel distinguuntur realiter, non possunt vlla virtute identificari.

Confirmatur: quia per continuationem nihil tollitur ab ipsis, nisi quod tollitur per vnionem suam ad inuicem, quã solum, vt continuantur, requirunt habere: sed per illã vnionem non tollitur distinctio quã habent, vt vna nõ sit altera, alias tolleretur ipsamet vnio, quia ipsa vnio nõ potest esse realis inter aliquas, nisi quorum vnum non sit alterum.

Confirmatur secundo: quia vnio realis producta de nouo per actionem realem requirit extrema realiter distincta: ergo istæ duæ aquæ, si sint sic vnitæ realiter (pro vt esse debent, vt continuantur) distinguuntur realiter.

Confirmatur tertio: quia materia, & forma, non obstant vnione sua ante omnem designationem, & sunt duæ entitates & distinguuntur realiter: ergo duæ aquæ non obstant

obstante vnione sua, & erunt due entitates & distinguuntur realiter eadem enim proflus est ratio.

Confirmatur quarto, due illæ entitates aquæ per continuationem non perdunt suam entitatē: ergo non obstante continuatione habet suas entitates: ergo & distinctionem, quia hæc est proprietas cuiuscumque entitatis.

Probatur tertio: aqua, quæ augetur, habet aliquid actū, quod non habuit antecederet, antequam augebatur, alias non augetur; seu, quod idē est, aliquid actū accessit ipsi, quod non habuit antefed illud, quod accessit, nō est tota aqua: ergo est pars aquæ, & consequenter habet actū in illam partem simul cum entitate antecederet, sed illa pars est realiter distincta ab entitate antecederet, quādoquidē entitas antecederet fuerit existens in rerum natura sine illa parte, quod est euidentissimum signum distinctionis realis: ergo habet partes realiter distinctas.

4. Probatur quarto, specialiter contra *Camerarium*: secundum ipsum partes secundum suam entitatē sunt actū in continuo: ergo & secundum multitudinem. Probo consequentiam, quia illa habent multitudinem realem actū quæ habent multas entitates realiter distinctas: sed si sit in continuo partes actū secundum entitatē, erunt ibi multe entitates realiter distinctæ; ergo erunt in continuo partes actū secundum multitudinem. Probatur minor: quia entitas accedens de nouo est actū in aqua aucta, & illa distinguitur realiter ab entitate, cui accessit; ergo in illa aqua sunt plures entitates realiter distinctæ, & consequenter multæ entitates, quia per multas entitates nihil aliud intelligimus quam plures entitates.

Camerarius quidem in solutione argumentorum videtur hanc difficultatem reducere ad questionem de nomine: nam videtur intelligere per partes distinctas actū, partes non vnitas actū, & hoc supposito certum est quod continuum non componatur ex partibus actū distinctis. At nos contendimus tantum partes in continuo actū sic distinctas, vt vna ex ipsis sit entitas actualis, quæ possit existere absque eo quod existat altera; & hoc plane continent prædictæ probationes, & in hoc sensu solū ventilanda est hæc controuersia vt sit realis; nam in alio sensu *Camerarij* esset tantum de nomine; & in hoc etiam ipso ille peiorem partem habet; tum quia minus communem; tum quia compositum physicum habet partes suas actū distinctas, secundum omnes non obstante vnione sua, & caput hominis dicitur esse actū distinctum à pede: ergo & partes continui non obstante vnione sua debent dici actū distinctæ.

Probatur ultimo conclusio generaliter: quia ideo negant aduersarij partes in continuo actū, & concedunt eas solum in potentia ad vitandas difficultates nostræ, & communis conclusionis; sed vel ex difficultatibus non sunt vltius momenti, vel si quæ sunt, etiam premunt ipsosmet: ergo sine fundamento negant illas partes.

5. Obiicies primo secundum *Philosophum* 8. *Physicorum* & alibi sæpe, partes continui non sunt in ipso actū, sed potentia.

Respondeo per hoc eum velle quod non sunt in continuo actū diuisæ, & discontinuæ à se inuicem, quemadmodum partes contiguæ, à quibus propterea per hoc distinguit *Philosophus* partes continui.

Dices cum Camerario: si quando *Philosophus* dicit respondendo ad argumentum *Zenonis*, motum posse pertransire quantitatem, quia in illo non sunt infinita actū, hoc intelligeretur de infinitis actū, quantum ad diuisionem, non tolleretur vni argumenti, quia tam difficile est pertransire infinita actū non diuisa; quam diuisa: ergo sic nequit intelligi.

Respondeo primo eodem modo non soluendam obiectionem *Zenonis*, etiā si intelligeretur de infinitis in potentia, quia tam difficile est motum pertransire actū infinita in potentia, quam infinita in actū; vnde soluit obiectionem explicatus modo nostro, vel non soluit ipsam explicatus modo *Camerarij*.

Respondeo secundo eum, quando dicit motum posse pertransire quantitatem, quia in ea nō sunt infinita actū, intelligendū de infinitis actū categorematice, siue illa infinita

sint diuisa; siue non sint diuisa; vnde hæc replica *Camerarij* non est ad rem.

6. Obiicies secundo: sequeretur quantitatem constare ex indiuisibilibus, quod est contra *Philosophum*, & communem sententiā, ergo falsa conclusio. Probatur sequela: accipiat certam aliquam partem quantitatis, de illa quæro vtum distinguatur à qualibet alia parte, necne. Si secundū dicatur, habeo intetum. Si primum, sequitur non esse diuisibilem in semper diuisibilia, quandoquidē actū nemine cogitante, distinguatur ab illis, in quas est diuisibilis: illud autem quod distinguitur ab illis, in quas est diuisibile, non est diuisibile in illas; tam ad hoc vt sit diuisibile in illa debet illa includere.

Confirmatur: Si continuum esset diuisum in omnes suas partes, illæ essent indiuisibiles: ergo si sit distinctum in omnes suas partes, illæ erunt indiuisibiles.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem dico, quod quæcūque pars accipietur, illa erit distincta à qualibet alia parte continui, sed non eodē modo, nā ab aliquibus, ab illis scilicet quæ in ipsamet nō includuntur, distinguetur eo modo, quo distinguuntur illa quorū neutrum in altero includitur; ab aliis autē nimirū illis, quæ includuntur in ipsamet, distinguetur tanquā includens ab incluso; nec verū est quod illud, quod est distinctum ab aliquibus, non possit in illa diuidi, quando nō distinguitur ab illis, nisi per modum includentis, & inclusi. Nec etiā est verū, quod præterea addit *Camerarius*, hic non queri vtum vna pars continui distinguatur ab alia per modum includentis & inclusi: nam quando queritur de distinctione vnus partis continui ab omnibus aliis partibus, necesse est, vt agatur de distinctione ipsius, etiam à partibus in ipsamet inclusi.

Ad confirmationem, nego possibile esse suppositum antecedentis, nempe continuum posse esse diuisum in omnes suas partes, quia qualibet pars, in quā diuideretur, deberet esse diuisibilis, & consequenter non esset diuisum in omnes partes, quandoquidem remanerent aliquæ partes in quas posset vltius diuidi. Quod si velit argumentum, quod si esset actū diuisum in omnes partes, in quas posset simul diuidi, qualibet pars esset indiuisibilis, negandum est antecedens iuxta sententiam communiorum de constitutione continui ex diuisibilibus.

Adde, hoc argumentum soluendū esse aduersariis, quia tam bene sequeretur partes continui esse indiuisibiles ex eo, quod posset diuidi in omnes suas partes, & quod posset illæ partes distingui, ac ex eo, quod actū diuidatur ac distinguatur in omnes suas partes: sicut tam bene sequitur, quod qualibet pars ex tribus partibus equalibus constitutibus lignum tripalmare, sit palmatis, ex eo, quod lignum actū diuidatur & distinguatur in illas, ac ex eo, quod posset diuidi, ac distingui in illas.

7. Obiicies tertio, sequeretur circulum maiorem æqualem esse minori, & multa alia similia contra sensum. Probatur sequela: quia quot puncta essent in maiori, tot essent in minori: ergo & tot partes.

Respondeo negando sequelam, & distinguo probationem: tot puncta determinabilia; ac tot partes æquales vni certæ, nego antecedens; indeterminabilia, concedo antecedens.

Adde, hoc etiam argumentum esse contra aduersarios, quia circulus minor posset diuidi in infinitas partes, & puncta; tam bene, quam maior; ergo esset tam magnus si valet hoc argumentum: ergo sequitur, quod vnus circulus sit æqualis alteri ex eo, quod posset diuidi in tot partes æque ac ex eo, quod diuidatur actū.

Obiicies quarto: sequeretur omnes partes continui posse actū esse diuisas; quandoquidem enim Deus cognoscit omnes illas actū distinctas, posset illas diuidere actū simul: sed hoc est absurdum, quia sequeretur, quod constitueretur ex indiuisibilibus.

Respondeo primo, eodem modo secuturum, quod posset lignum diuidi in omnes partes simul ex eo, quod Deus cognoscat omnes partes, in quas posset diuidi, vt concedunt aduersarij eū cognoscere, vnde si hoc nō sequatur secundū ipsos, nec sequi debet, quod inferunt contra nos

Respondeo secundo negando sequelam cum sua probatione, nam quemadmodum, si signarentur in ligno bipalmari tres partes, duæ non communicantes, quarum quælibet esset palmaris, & alia palmaris constans ex medietate vtriusque illius partis palmaris, licet illæ partes essent determinatæ, & actu distinctæ, propter signationem; tamen Deus non posset simul lignum diuidere in illas partes, propter naturam particularem istarum partium, quarum una includit aliquam partem aliarum partium; ita etiam propter naturam partium continui nequit in omnes simul diuidi, quamuis omnes sint actu, & cognoscantur à Deo.

Cæteræ obiectiones ex his & dicendis facile solui poterunt.

QVÆSTIO II.

Ex quibus partibus constet Continuum.

8 *Supposito*, quod continuum constet partibus actu, aut etiam potentia (nam sane perinde est quid dicatur quantum ad difficultates sequentes) non est dubium quin continuum tripalmare constet tribus partibus determinatis palmaribus, quarum quælibet sit diuisibilis in plures alias partes; sed difficultas maxima est; an componatur ultimo ex indiuisibilibus sic, ut si omnes partes diuisibiles ipsius diuiderentur, tandem deueniretur ad indiuisibilia, ex quibus & ipsum continuum, & quælibet pars diuisibilis eius componitur.

9 *Prima sententia* est, continuum componi ex diuisibilibus. Hæc est *Zenonis*, quem nuper aliqui recentiores contra *Aristotelem* secuti sunt.

Secunda sententia, communissima *Scotistarum*, *Thomistarum*, ac recentiorum cum *Philosopho*, est continuum non componi hoc modo ex indiuisibilibus, sed ex partibus diuisibilibus in infinitum ita, ut nunquam possit dari tam minima pars continui, nec de potentia absoluta, quæ non possit saltem diuinitus diuidi in plures alias partes.

Ego sane quod ad me attinet, fateor difficultates vtriusque sententiæ huius meum superare captum atque adeo quantum ad rationem attinet, nescire me quænam verior sit; sed quia Doctores communiter conueniunt cum *Philosopho* in secunda sententia, cui etiam fauet *Concilium Constantiense sess. 15* dicens errorem esse in *Philosophia*, quod linea continua componatur ex punctis immediatis; propterea iudico probabiliorē esse secundam sententiam; (quamuis *Arriaga* neget hanc censurā reperiri in ipso Concilio, ut nec in propositionibus, quas *Martinus v. Concilij* confirmator *Vicelleso & Husio*, referens eorum errores, damnat; sed in appendice addita illi Concilio desumpta ex codice cuiusdam Canonici Colonienfis; & quidem eo ipso mēdofo, ut fatetur *Typographus*, ac propterea non magnæ autoritatis) sed probabilitate tamē desumpta magis ex autoritate, quā ex ratione, non quod non habeat optimas pro se rationes, sed quod non possint meo iudicio solui bene rationes alterius sententiæ, sicut nec ipsius rationes à fautoribus alterius sententiæ solui possunt; unde quamuis operæ pretiū sit vtriusque sententiæ difficultates, ac fundamenta examinare, tamen non puto cōsultū esse de alterutra publice disputare, nec ingenio tribuendū quācumque sufficienter probare, aut improbare; sicut nec ingenij defectui, si quæcumque ex illis defendens nequeat satisfacere argumentis opponendis, quandoquidem nemo possit illis satisfacere: & hæc sit conclusio mea. Modo difficultates proponam contra vtramque.

Difficultates contra sententiam Zenonis.

10 *Prima*, & mihi quidem principalissima est; quod si continuum constaret ex indiuisibilibus, non haberet extensionem partium extra partes contra sensum omnem & rationem. Probatur sequela: quia indiuisibile additū sibi inuicem non occuparet plus spatij, quā vnū solum ex ipsis, nec consequenter infinita, quia est eadem ratio de duobus, ac de infinitis aut quantumlibet multis.

Quod autem vnū indiuisibile additū alteri indiuisibili non faciat maius, patet, quia deberet tangere ipsum se-

cundum se totum: si enim non tangeret secundum se totū deberet tangere ipsum secundum partē, & sic non esset indiuisibile, contra hypothesim: sed si tangat secundum se totum, non poterit correspondere vlli parti spatij, cui alterum indiuisibile non correspondet, & consequenter vtrumque non occupabit plus spatij, quam quodlibet seorsum sumptum.

Confirmatur hoc: quia si duo corpora diuisibilia tangerent se mutuo secundum omnes partes, ut fit in penetratione, non occuparet plus spatij, quam vnū solum ex illis: ergo si duo indiuisibilia tangant se secundum se totum, ita ut nulla pars vnus correspondeat vlli parti spatij, cui non correspondet alterum, non occupabit plus spatij vtrumque, quam alterum.

Confirmatur secundo: quia si duo indiuisibilia immediate iuxta se posita occuparent plus spatij, quā vnū, si superaddatur tertium, vel deberet immediate se habere ad primum indiuisibile, vel non deberet. Si deberet: ergo non occuparet plus spatij, quā secundum, ut euident est, nec consequenter secundum deberet occupare plus spatij, quam occupat primum. Si non deberet: ergo non tangeret illud, quod tangit primum, secundum eandem partē, & sic non immediate tangeret secundum indiuisibile, quod tangitur à primo, contra hypothesim.

Confirmatur tertio: quia si duo puncta diuinitus penetrarent se, non magis tangerent se secundum se totum quam si ponantur iuxta se eo modo, quo debent, ut constituantur ex illis continuum: sed in tali casu non occuparent plus spatij: ergo nec in casu præsentis.

11 *Aliqui negant* puncta posse se tangere, quia tactus proprie spectat ad corpora: sed hoc est reducere rem ad nomen, & non facit ad propositum, quia per tactū nihil aliud hic intelligi debet, quam ita se habere, ut nihil mediet inter illa; sic autem posse se habere duo puncta non est dubium.

Arriaga respondet, ex tactu duorum indiuisibilium non sequi eorum penetrationē, nec consequenter occupationem eiusdem spatij: tū quia alias superficies duarum manuum tangentes se inuicem penetrarent se; tum quia penetratio requirit, ut vnū sit intra aliud, quod nequit fieri, quando vtrumque est indiuisibile.

Sed contra primam rationem est, quod falso supponat superficies manuum se mutuo tangentes non penetrare se: cum enim necessario debeant correspondere eidem parti spatij, debent etiam necessario penetrare se: & hinc *Philosophus* bene dixit contigua esse quorum extrema sunt simul: id est correspondentia eidem loco.

Contra secundam etiam rationem est, quod falso putet penetrationem exigere, ut vnū sit intra aliud, atque adeo non posse esse nisi inter diuisibilia: hoc inquam, & gratis dicitur, & contra ipsummet *Arriagam*, qui concedit duo puncta diuinitus penetrari posse, cum tamen in illo casu vnū non esset intra aliud, quandoquidem vtrumque esset indiuisibile, nec haberet partes interiores, intra quas alterum esse posset. Verum quidem est quando aliquid est diuisibile, illud ab alio diuisibili penetrari non posse, quin secundum aliquas saltem partes vnū intra alterum recipiatur, quia alias non possent occupare idem spatium: sed certe superficies extimæ duorum corporum penetratorum, quamuis essent penetratæ, non essent intra se inuicem: & idem est de duobus Angelis penetrantibus se.

12 *Idem Arriaga* confirmat suam responsonem hoc modo: si ponatur vnū indiuisibile in medio cubiculo, quāuis sit indiuisibile, respicit quatuor partes mundi, & habet dextram & sinistram non quidem per intrinsecā, quia non habet partes, sed per extrinsecam denominationem desumptam ab aliis corporibus aut indiuisibilibus: ad huiusmodi punctum possunt duo corpora cedere, vnū ab oriente, ab occidente alterum, sic, ut nihil mediet, nisi illud punctum. Sed in tali casu illa duo corpora essent cōtigua puncto, sed tamen non essent sibi inuicē contigua, nec secundum aliquid sui, corresponderent eidem spatij, cui corresponderet illud punctum.

Responderetur negando minorem: essent enim, ut & puncto, ita

Ex quibus partibus constatur continuum quantum ad rationem in certum.

Prima ratio contra continuationem continui ex indiuisibilibus.

ita sibi contigua secundum quaecumque rationem, secundum quam tangerent punctum.

13 Sed difficultas est quod sequeretur diametrum quadri esse æquale costæ eius, contra sensum. Probatur sequela: quia si linea constet ex punctis, diametrum tot sola habebit puncta, quot costæ: ergo non poterit esse æquale ipsi. Probatur antecedens: quia ducendo à quolibet puncto costæ vnius lineæ ad quodlibet punctum alterius costæ, & non plures, nec pauciores; cooperietur diametrum lineis, & consequenter non relinqueretur vllum punctum ipsius absque linea, alias non cooperiretur: sed hoc fieri non posset si constaret pluribus punctis: ergo non constat, & consequenter erit æquale.

Contra hanc instantiam vgeri potest, quod simili argumento probari posset, quod haberet costæ tot partes determinatas, & æquales vni certæ, quot diametrum, etiam si dicatur diametrum non constare diuisibilibus: ergo cum hoc sit falsum manifeste, signum est quod argumentum non concludat. Probatur antecedens: quia si à costæ constaret duobus palmis determinatis ducantur superficies tot palmarum ad aliam costam, cooperiretur Diametrum: ergo Diametrum non constaret pluribus partibus determinatis quam duobus palmis, quia si constaret aliqua parte determinata vltiori, non cooperiretur totaliter per superficiem duorum palmarum. Itaque quemadmodum ex situ lineæ diametralis oritur ut possit cooperiri totaliter per superficies minus longas, ex eadem ratione oriri potest, ut, quamuis constaret punctis, posset cooperiri per lineas non constantes tot punctis: & ratio erit vtrouque id fieri possit, est, quia duo puncta aliqua aut plura lineæ diametralis debent necessario tangi ab vna linea propter situm. Itaque quod ad me attinet non multum innotet huic difficultati.

14 Tertia difficultas est, quod sequeretur duos circulos, quorum vnus intra alium includitur, esse æquales contra sensum. Probatur sequela: quia à centro vtriusque circuli potest duci linea recta ad quodlibet punctum lineæ superioris: sed illæ lineæ debent transire per circulum inferiorem, & nullæ duæ poterunt transire per idem punctum, alias essent curuæ contra hypotheseum; ergo tot erunt puncta in circulo inferiori, quot in superiori, & consequenter erit tam magnus quam superior.

Responderi posset necessario futurum, ut ex omnibus lineis, quæ à circulo exteriori maximo ducuntur ad centrū per circulum interiore valde paruum, aliquæ transire debeant per idem punctum circuli inferioris absque curuitate, non quidem quia inferior non possit habere tot partes indeterminatas, quot superior, ac tot puncta; nam quamuis difficile valde sit quod habeat tot partes; tamen in sententia Aristotelica & communi tot habere debet: sed quia non potest habere tot puncta, seu partes determinatas, quot exterior: nec enim in circulo minimo prope centrum possumus assignare de facto centum mille puncta distincta, sicut possumus in circulo maximo, unde quia à quocunque puncto determinato assignabili in circulo maximo possumus ducere lineam rectam per circulum minimum, necessario plures ex illis debent transire per idem punctum circuli inferioris; alias potuissimus assignare ac determinare centum mille puncta distincta in inferiori, sicut in superiori.

Plures aliæ difficultates mathematicæ proponi solent contra Zenonis sententiā, sed in re coincidunt cum his, atque adeo qui has soluerit, atque illas possit soluere.

15 Quarta difficultas est, quia si continuum componeretur ex indiuisibilibus, tantum spatii percurreret media hora mobile velox, ac tardum, quod implicat. Probatur sequela: quia in vno instanti non potest tardum mobile minus acquirere loci noui quam vnum punctum si moueatur, nec mobile velox plus quam punctum: ergo si hora constet viginti instantibus, mobile velox non acquireret per horam plus quam viginti puncta, & totidem acquireret mobile tardum, atque adeo æque velociter mouebitur vtrumque.

Fautores Zenonis, negant sequelam, ad cuius Probationem negant suppositum, nempe quod mobile tardum

moueat tam continuo per horam, quam mobile velox; dicit enim tarditate motus provenire ex morulis aliquibus aliquando per sensum imperceptibilibus, quæ morula plures sūt, quo tardior est motus, & pauciores quo velocior. Sed omnino difficile est, quod quando aliquis homo minus fortis trahit aliquem lapidem impetu magno, lapis ille mouetur durante illa retractione; & tamē nō mouebitur tā velociter quasi traheretur ab alio fortiori impetu maiori: & valde difficile est, quod lapis molaris descendens per aërem ex gravitate sua moretur aliquādiu, cum nihil sit impedimentum, nec potius impediri deberet quādo moratur, quam quando non moratur. Deinde quando rota mouetur, quandoquidem pars interior tardius mouetur quam superior, deberet pars interior aliquando quiescere, non quiescente parte exteriori, quod absque discontinuatione fieri non posse videretur; ergo motus non habet semper tarditatem ex morulis.

16 Alii recentiores tenentes continuū componi ex indiuisibilibus, ut soluant omnia hæc argumenta hæcenus facta contra Zenonem, dicunt indiuisibilia, ex quibus constat, esse virtualiter diuisibilia, & occupare locum diuisibilem, sicut Angelus potest, cū hac tamē differētia quod sint impenetrabilia, & quidem Arriaga dicit eos putare, quod etiam puncta illa sint indifferentia ut occupent nunc minus, nunc maius spatium.

Hæc sententia nunquam mihi apparuit vel probabilis, sed inutiliter ac gratis excogitata contra apparentes rationes: eam fuscè & bene impugnat Arriaga.

Impugnatur primo, quia illud punctum quod ponitur virtualiter diuisibile, propterea dicitur tale, quia occupat spatium diuisibile, & ideo quia potest occupare spatium diuisibile, possunt tolli præcedentes difficultates: sed omnes illæ difficultates æque currunt de ipso spatio occupato, ac de ipso continuo occupante spatium: ergo frustra ponuntur puncta illa virtualiter diuisibilia ad euadendas illas difficultates.

Confirmatur, ac declaratur hoc spatium illud quod occupatur à puncto & est diuisibile, vel est diuisibile in partes diuisibiles in infinitum, vel in indiuisibilia. Si in partes: ergo illud quod occupat ipsum, potest dici similiter constare partibus: si ex indiuisibilibus; ergo idem potest de illo, quod occupat ipsum, quodcunque enim dicitur absque inconuenienti de spatio quantum ad hoc, potest dici de occupante ipsum: ergo illud, quod occupat spatium diuisibile debet esse diuisibile, & quidem formaliter eo modo, quo ipsum spatium. Nec prorsus refert quod spatium illud, per ordinem ad quod explicatur virtualis diuisibilitas puncti sit quid imaginarium, nam eodē modo loqui de ipso debemus quantum ad hoc, ac si esset quid reale, & quidquid esset inconueniens de eo, si esset reale, debet adscribi ipsi in esse imaginario; unde nec corpus occupans superficiem realem trium pedum solummodo, debet dici occupare spatium imaginarium maioris extensionis.

19 Impugnatur secundo, & præcipue, ostendendo quod nō satisfaciāt hi autores difficultatibus præmissis propter quas soluendas solum tenent hanc sententiam.

Ad primam difficultatem, quod indiuisibile additum indiuisibili non faciat maius, dicunt hoc esse falsū quando indiuisibilia sunt virtualiter diuisibilia: quia quandoquidem secundum punctum non tangat adæquate primum punctum, quia scilicet non est in loco adæquato eius, primum enim punctum occupat tres partes spatij, secundum vero punctum non occupat illas tres partes, sed alias tres, & sic vtrumque facit maius quantum ad occupationem spatij.

Sed Contra: quia quæro de illis partibus spatij occupatis an sint indiuisibiles vel diuisibiles sepe. Si indiuisibiles: ergo non faciūt maius, vel si posset facere maius, similiter indiuisibilia continui, quamuis non essent diuisibilia virtualiter. Si diuisibiles semper, ergo idem dicas de partibus continui: & ne longior sim, per hæc patet eos nō sufficienter respondere vlli fere ex prædictis difficultatibus, præterquā quod satis absurde imaginentur indiuisibile vnius lineæ, vel circuli occupare plus spatij, quā alterius

Non datur in continuo indiuisibilia virtualiter indiuisibilia.

alterius lineæ aut circuli, cum nulla prorsus sit huius ratio, & cum eadem ipsa linea ex iisdem indiuisibilibus constans possit ad costam quadri, & ad diametrum extendi sine ulla extensione ipsius maiori aut minori, cum tamen de eadem sic extensa possint fieri prædictæ demonstrationes mathematicæ tam bene quam si diuersæ lineæ proponerentur. Qui voluerit plura, videat *Arriagam*.

Alqui impugnant constitutionem lineæ ex indiuisibilibus ex eo, quod inde sequeretur lineam non fore extensam, quia res inextensa non potest facere rem extensam.

At hæc impugnatio non valet: quemadmodum enim plures unitates indiuisibiles faciunt numerum diuisibilem, & plures partes physicæ incompositæ, & simplices faciunt compositum physicum: ita plura diuisibilia inextensa possent facere aliquod diuisibile extensum, modo essent extra se inuicem, & ratio est manifesta, quia ut sit extensum quid, sufficit quod habeat partes extra partes, sed hoc habere posset si haberet plures partes, etiam si quælibet ex illis seorsum accepta esset indiuisibilis, modo tamen possent esse extra se inuicem, quod si non possint ita esse, non oritur ex hac difficultate, sed ex alia, quod indiuisibile additum indiuisibili non faciat maius.

Difficultates contra sententiam Aristotelis, & communem.

18. *Sententia Philosophi asserens contra Zenonem, continuum non constare solis indiuisibilibus, dupliciter defendi solet ab authoribus.* Aliqui enim putant continuū componi ex partibus in infinitū diuisibilibus, quæ inter se continuantur entitatibus indiuisibilibus; unde admittūt in continuo præter partes diuisibiles indiuisibilia; sed adhuc auctores huius sententiæ non conueniunt, nam quidam concedunt indiuisibilia tam continuatiua quam terminatiua, alij sola terminatiua, alij sola continuatiua.

Quidam vero alij negant vniuersum indiuisibilia, & quoad reliqua cum aliis Peripateticis conueniunt. Hic examinanda sunt difficultates principales contra hanc sententiā; quomodo cumque explicetur; & postea quid ea supposita melius dicendū sit circa indiuisibilia, proponam.

Prima
difficul-
tas con-
sistit in
hoc, quod
continuum
ex diuisi-
bilibus.

19. *Prima difficultas est, quod sequeretur quantitatem palmarem habere tot partes quot tota mundi machina: quod incredibile prorsus ex terminis ipsis apparet, & videtur esse contra primū principium, quod totū sit maius sua parte: si enim quantitas palmaris, quæ est pars exigua mundi, tot partes habet quot ipse mundus, videtur debere esse tā magna quam mundus.* Probatur sequela: quia illa quantitas in hac sententia est diuisibilis in infinitum, non minus quam totus mundus, & pro qualibet parte quæ potest assignari à Deo in toto mundo, poterit etiā ab ipso ex quantitate palmarum aliqua pars assignari, alia deueniret ad aliquam partem, quam Deus diuidere non posset, & quæ propterea esset indiuisibilis iuxta Zenonem contra hanc sententiam.

Respondetur communiter quod quantitas palmaris habeat tot partes syncategorematicas, seu proportionales ac communicantes, quot totus mundus, non vero categorematicas, ac determinatas, & æquales vni certæ parti: id autem non est inconueniens, nec inde sequitur, quod totum nō sit maius parte, quia ad hoc requireretur quod pars haberet tot partes determinatas, ac æquales vni certæ parti, quot totum.

At contra hoc obijci posset quod imprimis non solum reperiuntur tot partes indeterminatæ, & proportionales, ac communicantes in quantitate palmarum, quot in toto mundo; sed tot partes determinatæ, & assignabiles, vna post alteram: nam ut dixi, pro qualibet parte determinata, quam potest Deus assignare in mundo, potest in quantitate quacunque minima assignare aliquā partem, & eā à reliquis partibus seiuungere, ac separatam conseruare: ergo non solum sunt tot partes syncategorematicæ, sed categorematicæ in parte, ac toto. Nec refert quod non possit assignare tot partes æquales vni certæ, sufficere enim videtur ad partes categorematicas, quod sint assignabiles vna post alteram, & separabiles.

Deinde, quandoquidem partes omnes determinatæ, & categorematicæ quantitatis cōstent, & constituuntur pe-

partes proportionales, ac indeterminatas, si sint tot partes indeterminatæ, ac proportionales, in quantitate minori ac maiori, videtur necessario dicendū quod sint in illis tot partes categorematicæ, ac æquales vni certæ: unde licet ad sensum pateat quod non sint reuera in illis tot partes, tamen ex alio capite iuxta hanc sententiam deberent esse in illis tot partes, & in hoc consistit contradictio huius sententiæ.

20. *Secunda difficultas præcedenti cognata est, quod sequeretur dari actū infinitū in multitudine, & extensione; sed hoc reputatur absurdū, quia quamuis de potentia absolute multi probabiliter putent nō repugnare quod detur, tamen plures id reputant impossibile, & communiter negant dari de facto, quidquid sit de possibili.* Probatur sequela: quia numerus partium actualium quantitatis palmaris, v.g. (etiam loquendo de partibus nō communicantibus, & quæ assignari possunt à Deo) non est finitus actū, alias posset determinari quantus esset; & sequeretur quod nulla ex partibus istius numeri esset diuisibilis, contra hanc sententiam: ergo est infinitus.

Respondetur sequi, quod detur infinitum syncategorematicè, non categorematicè.

Sed hoc est verba obtrudere, non rem: si enim sunt partes assignabiles quarū vna post aliam assignari potest, quæ non habent terminum, cur non sunt infinitæ categorematicæ? Deinde, non magis repugnat, aut est inconueniens Infinitum categorematicū, quam huiusmodi infinitum; omnia enim argumenta, quæ contra infinitum categorematicum in numero adduci solent, contra infinitatem hanc eque militant.

Confirmatur ex eo colligo numerum omnium hominum possibilem fore infinitum simpliciter, si poneretur à parte rei; quia excederet actū quemcumque numerum finitum, nec vllus tam magnus assignari potest, quin eo accepto, adhuc plures homines essent accipiendi, ex numero omnium hominum: sed numerus omnium partium repertarū actū in continuo, & distinctarū actū à se inuicem excedit quemcumque finitum numerum; nec Deus ipse tam magnum numerum finitum assignare potest, quin eo accepto, ex illis partibus adhuc plures essent accipiendæ.

21. *Confirmatur: quotiescumque quælibet pars ex illis partibus, quæ constāt numerū simpliciter infinitū, potest accipere partem ex alio numero simul, ille alius numerus debet esse infinitus simpliciter: sed numerus omnium hominum possibilem, si existeret, esset infinitus simpliciter, & quilibet ex illis hominibus posset habere à Deo partem ex quantitate palmarum, ergo numerus quantitatis palmaris esset infinitus simpliciter. Nec refert, quod omnes partes quantitatis palmaris faciunt numerum finitum partium equalium vni certæ: & quod propterea numerus earum debet esse finitus: nam ex hoc capite id quidem verum est: sed ex alio capite sequitur, quod numerus ille sit infinitus simpliciter, & in hoc consistit implicatio, quæ apparet in hac sententiā, ut dixi paulo ante.*

Confirmatur secundo: quia in sententia admittente indiuisibilia in quolibet continuo, sunt infinita entia equalia vni certo enti, & quorum neutrum includitur in altero, nimirum infinita indiuisibilia, & quidem determinabilia, ergo iuxta rigorem illum, quo exigitur ad infinitum simpliciter, infinitas entium equalium vni certo enti, daretur actū infinitum simpliciter.

22. *Tertia difficultas est præcipue contra admittentes indiuisibilia continuatiua, seu vniones, quibus vniantur partes continui, quia cum illa indiuisibilia sint entia positiua realiter inter se distincta, & etiam à partibus quas vniant; ex vno capite videtur, quod Deus posset omnia separare ab illis partibus, & separata conseruare, ex alio vero capite id implicat, quia quælibet pars, à quibus separarentur, deberet includere vniones. Hæc difficultas potissimum vrget contra eos, qui dicunt indiuisibilia continuatiua esse entia absolutā, nam qui dicūt ea esse vniones relatiuas, negarent vllum ex ipsis conseruari posse absque parte, quam vnit, quia nulla re actio potest conseruari absque suis extremis.*

23 *Quarta difficultas* contra eisdem, quia quandoquidem Deus ipse libere produxit omnia & singula indiuisibilia, quae sunt in continuo, nec vllum prorsus ex illiis sit, quod ipse non cognoscat, videtur sequi necessarium, quod assignato quocumque indiuisibili, ipse possit assignare secundum indiuisibile, quod proxime sequitur illud indiuisibile: sed in hac sententia hoc non possit facere; quia assignato quocumque, inter illud, & sequens primum indiuisibile intermediat pars aliqua indiuisibilis, in qua propterea necessario inuoluitur aliud indiuisibile copulatum suarum partium: ergo illa sententia non est admittenda.

Confirmatur: quia omnia indiuisibilia in continuo sequuntur se inuicem, nec vlla duo sunt simul: ergo aliquod vnum ex omnibus immediatius sequitur ad primum indiuisibile, quam vllum aliud: ergo cognoscitur illud vnum à Domino Deo, & consequenter poterit ipsum assignare.

Dices: aliquod vnum indiuisibile immediatius se habere quam cetera, sed indeterminatum tamen & in assignabile.

Contra: quia si à parte rei aliquod vnum sic se habet, quandoquidem ipsum non includatur in vno ex aliis indiuisibilibus, nec vllum ex ipsis includat, & producat libere à Deo, omnino debet esse sufficienter determinatum, vt possit assignari à Deo.

24 *Ad hanc difficultatem* potest reduci alia, qua dicitur quod inter primum diuisibile, & reliqua sequentia, vel mediat aliquid, vel nihil mediat: si nihil mediat, ergo duo indiuisibilia sequuntur se inuicem immediate contra hanc sententiam: si aliquid; ergo vel pars diuisibilis, vel aliquid indiuisibile: non aliquid indiuisibile, quia comprehenderetur in numero ceterorum indiuisibilium, atque adeo non intercederet inter primum indiuisibile, & reliqua; non pars diuisibilis, quia illa pars deberet includere aliquid indiuisibile, & consequenter non posset intercedere inter primum indiuisibile, & reliqua omnia indiuisibilia.

Respondetur solet communiter, quod inter primum indiuisibile, & reliqua distributue accepta aliqua pars intercedat, quia nulla prorsus est ex ceteris seorsim accepta inter quam & primum indiuisibile non intercedat pars. Inter primum vero diuisibile, & cetera omnia collectiue accepta, nihil mediat, in quo non sit aliquod ex ceteris indiuisibilibus. Verum cum cetera indiuisibilia collectiue accepta, sic enim in difficultate agitur de illis, sequuntur primum indiuisibile, videtur necessarium esse, quod aliquid vel nihil intercedat: & quia si nihil intercederet, sequeretur indiuisibilia se inuicem immediate sequi, concedendum est ex vno capite, & quod pars diuisibilis intercederet, & ex alio capite id repugnat, quia illa pars includit indiuisibile; quae est implicancia huius sententiae.

Q V A E S T I O I I I.

An admittenda sint indiuisibilia in continuo positiua realia.

Partem affirmatiuam tenent *Scotist. Thomist. & recentiores* cum Philosopho hic: negatiuam vero *Nominales*, quos sequitur *Poerius lib. 10 c. 6. & Auerſa q. 22 scilicet 4.*

C O N C L V S I O.

25 *Etiā in hac difficultate existimo incertum esse quid dicendum, quia sunt argumenta insolubilia pro utraque parte.* Vt veritas huius conclusionis appareat, prius proponenda sunt argumenta pro parte affirmatiua.

Probari ergo solet primo, argumento mathematico, quia potest diuinitus dari corpus perfecte sphaericum, & corpus perfecte planum, & corpus sphaericum potest tangere corpus planum: sed non potest tangere ipsum in parte aliqua diuisibili: ergo in aliquo indiuisibili, & consequenter datur in continuo aliquod indiuisibile. Probatur minor: quia non potest fieri contactus in indiuisibili nisi secundum vniuersam figuram: sed superficies corporis sphaerici non habet vniuersam cum superficie corporis plani: ergo non possunt tangere se in parte diuisibili.

Respondent aliqui, talia duo non posse tangere se inuicem, aut si tangant, debere penetrare se. Sed primum est incredibile: quid enim detineret sphaericum corpus valde graue locatum in aëre supra corpus planum, à descensu super ipsum? Secundum autem est contra rationem quantitatis.

Respondent alij, sphaericum corpus tacturum corpus planum in parte diuisibili, sed indeterminata & inassignabili.

Quae responsio, quamuis difficilis sit, quia praeterquam quod durum sit, Deum non posse assignare quid, & quantum tangatur vnius corporis ab alio corpore, adhuc illa ipsa pars diuisibilis plani, quantumuis indeterminata est plana, & pars indeterminata corporis sphaerici est sphaerica, aut non plana: ergo non habent proportionem sufficientem, vt tangant se. Sed quamuis inquam haec responsio patiat hanc difficultatem, adhuc videtur aequae sufficere ac alia, quam dant Patroni indiuisibilium, quando obicitur ipsis, quod indiuisibile continuatum partium linearum, si daretur, deberet tangere partes diuisibiles, quas copulat, & inter quas collocatur. Solent enim respondere, quod tangat illas secundum partem aliquam indeterminatam: at non est difficilius partem aliquam indeterminatam corporis sphaerici tangere partem corporis plani, quam quod indiuisibile tangat diuisibile; unde existimo eos autores non debere multum virgere hoc argumentum, quandoquidem ipsismet sit soluendum.

26 *Probaturssecundo*: quia quando duo corpora tangunt se inuicem, tangunt se solum secundum aliquid indiuisibile quoad profunditatem, hoc est secundum superficiem indiuisibilem; alias penetrarent se: ergo dantur talia indiuisibilia: sed si dantur vlla indiuisibilia, nihil impedit quo minus reliqua dentur: ergo.

Confirmatur: quia lumen recipitur in superficie indiuisibili corporis colorati opaci, & in hoc distinguitur opacum corpus à diaphano: ergo datur superficies indiuisibilis.

Hoc argumentum meo iudicio non sufficit: quia quemadmodum qui ponunt indiuisibilia, dicunt eas tangere partes diuisibiles, quas copulant, aut terminant, quamuis non penetrent illas, aut si penetrent, non penetrant nisi secundum partem aliquam indeterminatam: ita posset dici, quod vna quantitas non includens aliquid indiuisibile tangeret aliam, aut non penetrando ipsam vno modo, aut si penetraret, non penetrando nisi secundum partem indeterminatam. Tactus autem earum potest explicari per hoc, quod vna quantitas diuisibilis immediate ponatur post aliam, ita vt inter duas quantitates se tangentes nihil mediet.

27 *Confirmatur hoc*: quia si Deus afferret superficiem vltimā vtriusque quantitatis, vt bene posset facere quādoquidem sit quid absolutum distinctum realiter ab illa quantitate, quero vtrum illae duae quantitates possent tangere se inuicem. Si sic, ergo ex tactu non potest argui, quod habent superficies indiuisibiles: si non, praeterquam quod id sit incredibile potest dici eodem modo à negatibus indiuisibilia, quod non tangant se de facto vlla corpora.

Ad confirmationem probationis respondēt aduersarij negando antecedens, & dicunt lumen recipi in aliqua parte diuisibilis quoad profunditatem, sed adeo minima, quādo corpus est opacum, vt per sensum homo possit discerni, quod sit sic diuisibilis; in quo distinguitur corpus opacū à diaphano, quod sensui appareat corpus diaphanum secundum partes diuisibiles quoad profunditatem, opacū vero non ita. Quae responsio satis mihi probabilis apparet, nisi aliunde probetur indiuisibilia: quod si aliunde probetur indiuisibilia, melius est dicere quod lumen recipiatur in indiuisibili, quandoquidē posset in eo recipi, & quantum ad sensum apparet esse in eo, debemus enim sequi sensum, nisi quando per rationem corrigi debet.

28 *Probaturs tertio*, quia possibilia sunt omnia haec indiuisibilia tā continuatiua quā terminatiua: ergo de facto datur. Probatur consequentia primo quia omnia fere argumenta, quae adducuntur contra actualem existentiam ipsorum, militant aequae contra possibilitatem ipsorum; quia

quia si sint possibiles, possunt poni acta, & supposito quod Deus eos iam produxerit acta, illa argumenta omnia possunt vrgeri contra ipsos. Probatur consequentia secundo quia si sint possibilia, debet esse possibile aliquod spatium ipsis proportionatum de facto, in quo ponatur, cui spatium nulla pars diuisibilis esset proportionata, & consequenter de facto illud spatium non esset repletum, nisi de facto admittantur indiuisibilia.

Auersa existimat consequentiam esse bonam, & propterea negat absolute antecedens: nam sicut in spatium diuisibili correspondente parti diuisibili, quae terminatur vel continuatur indiuisibili, non potest poni indiuisibile, quia est ipsi improporionatissima nec in illa parte spatij potest poni, quia omnis pars spatij, & quidquid reperitur in illo, est diuisibile. Verum non potest *Auersa* dare repugnantiā, quo minus possit Deus creare aliquod indiuisibile materiale, sicut potest creare, & creauit de facto indiuisibilia spiritalia, Angelos, & animam rationalem.

29. *Probatur quarto* quoad indiuisibilia continua: Prima pars quantitatis bipalmaris coniungitur cum secunda parte palmarum per vnionem aliquam distinctam; neque enim a seipsis iuxta se immediate positae habent esse continuas, quia possunt esse iuxta se immediate positae, etiam si non essent continuas, sed solum contiguas; ut patet: sed illa coniunctio earum, seu vnio, non potest dari absque indiuisibili: ergo datur indiuisibilia continuata. Probatur minor: non coniunguntur per vnionem aliquam diuisibilem, nec per vnionem indiuisibilem subiectatā in ipsis partibus, siue vtriusque siue alterutra ex illis, ergo vniantur vel per indiuisibile intercedens inter illa, vel per vnionem subiectatam in tali indiuisibili, & terminatā ad illas partes, siue vnā ad vtramque siue duas, quarum vnā terminetur ad vnā partem, & altera ad alterā: consequentia patet, quia non potest imaginari, quo alio modo vnirentur ex suppositione antecedentis. Probatur ergo antecedens, quoad primam partem, nimirum quod non continuantur per vnionem diuisibilem, quia vel interponeretur inter illas partes & non subiectaretur in ipsis, vel subiectaretur in ipsis partibus: non primum, quia sic illae duae partes non immediate vnirentur, quandoquidem aliquid diuisibile interiaceret; & praeterea si vnio interiaceret diuisibilis, destructa vna parte altera manere posset & deberet aliquid vniri: nihil autem posset vniri praeter partes illas: ergo se sola sine altera parte destructa sufficeret, & frustra esset pars destructa. Non secundum, quia vel subiectaretur secundum se totam in vna ex partibus vel in vtraque parte secundum se totam, vel in vna parte secundum partem sui, & in alia secundum alteram partem; neutrum dici potest.

30. *Probatur minor* quoad primam partem, nimirum quod non in vna parte secundum se totam: tum quia non esset potior ratio quare in vna, quam in altera; tum quia vel subiectaretur in vna alia parte ita, ut coextenderetur toti illi parti cum proportionem partis ad partem, vel ita ut coextenderetur toti illi parti cum proportionem partis ad partem; tum quia quamuis aliqua pars illius vnionis, quae scilicet correspondet initio primae partis, non daretur manente parte vnionis correspondente reliquae parti, continuaretur illae duae partes: ergo ad continuationem non requiritur coextensio vnionis ad omnes partes quantitatis, quae continuatur; tum quia alias quando continuaretur vnica gutta aquae toti Oceano, produceretur ab agente hic applicato vnio in parte Oceani distante prope Indias, quod videtur incredibile, nec ita ut coextenderetur cuiusque parti istius primae partis, propter eandem rationem, quia quaecunque pars est diuisibilis, & ablata parte vnionis correspondente primae parti, manente parte correspondente alteri parti, adhuc fieret continuatio. Probatur eadem minor, quoad secundam partem, nimirum quod secundum se totam non subiectaretur in vtraque parte; quia sic esset forma spiritalis, ut est anima rationalis, contra omnes, & quia quamuis non subiectaretur in vtraque parte cum correspondentia ad illas om-

nes, adhuc continuarentur. Probatur denique illa ipsa minor, quoad tertiam partem, nimirum quod non subiectaretur secundum partem sui in vna parte, & aliam partem in altera, quia quaelibet ex illis partibus esset diuisibilis, & consequenter haberet subiectum diuisibile: sed ablata prima parte adhuc esset continuatio: ergo frustra esset prima pars.

Probatur nunc antecedens primarium quoad secundam partem, nempe quod non vniantur partes continuatae per vnionem aliquam indiuisibilem subiectatā in ipsis, prout philosophatur *Huradus*; quia accidens indiuisibile materiale nequit esse in subiecto diuisibili, in hoc enim distinguitur forma materialis a spiritali. Per hoc patet efficaciter probari partem affirmatiuam: nunc proponenda sunt argumenta partis negatiuae.

31. *Probatur ergo primo*. Ad vnionem partes continui non conducunt indiuisibilia positiua, & realia: ergo in ordine ad hoc poni non debent. Probatur antecedens quia vel vnirent illas partes se ipsis, vel vnirent illas mediatis respectibus aut vnionibus aliquibus superadditis: non seipsis, tum quia sunt absoluta, tum quia potest indiuisibile terminatiuum vnus quantitatis reperiri absque eo quod vniantur alteri quantitati, cui posset vniri, quod fieri non posset si seipsa vnirent illas quantitates: non etiam per respectus aut vniones superadditas, quia illi respectus possent sufficere sine indiuisibilibus.

Dices, antecedens esse falsum, quia indiuisibilia deseruire possunt ad vnionem partes continui, quatenus recipit in se vniones distinctas a se terminatas ad illas partes, quae vniones non possent esse in alio subiecto, quam in indiuisibili, & consequenter non possent dari absque indiuisibili.

Contra: illae vniones subiectatae in indiuisibili, debent habere correlationes in partibus, ad quas terminantur: ergo possunt dari vniones continuatae subiectatae in alio subiecto quam in indiuisibili.

32. *Dices* etiam, hoc antecedens esse falsum propter incapacitatem partium ad recipiendam vnionem, per quam immediate coniunguntur aliis partibus.

Contra: quia quemadmodum terminare possunt vnionem, per quam immediate vniantur non obstante diuisibilitate sua; ita etiam possunt subiectare vnionem per quam sic vniantur.

Et si dicas, hoc non esse verum, quia vel illa vnio esset diuisibilis, & sic pars ipsius sufficeret, vel esset indiuisibilis, & non posset subiectari in subiecto diuisibili.

Contra: illa pars, quae immediate terminat vnionem, est diuisibilis; & quamuis media pars ipsius posset sufficere, tamen tota illa pars, ut supponitur, terminat immediate vnionem: ergo posset sufficere, tamē posset ipsa vnio diuisibilis de facto poni, per quam pars in qua subiectaretur immediate vniretur alteri parti tam bene, quam vnitur indiuisibili.

Confirmatur: quia non apparet quomodo pars diuisibilis posset per vnionem ad se immediate terminatā immediate vniri, quia si terminatur vnio ad mediā partē ipsius, adhuc continuum tam bene continuaretur, quam si terminaretur ad illam totam, & cum pars diuisibilis continui constet duabus partibus sequentibus se inuicē non potest cogitari quomodo vna pars ex ipsis non debeat immediatius vniri quā altera pars, siue vnio ponatur subiectiue in illa parte, siue terminetur tantum ad ipsam.

33. *Probatur secundo*, per quartam difficultatem positam quaestione precedenti contra eos, qui dicunt continuum componi ex diuisibilibus, & indiuisibilibus.

Probari solet tertio, quia indiuisibilia quantitatis debent habere aliquod subiectum: sed non potest assignari in quo subiecto sint, non enim possunt subiectari in partibus diuisibilibus, aut ipsius quantitatis, quas copulat, aut substantiae, in qua subiectatur illa quantitas: quia indiuisibile materiale nequit esse instar formae spiritalis, in subiecto extenso; nec etiam subiectatur in indiuisibili substantia,

substantiae, quia non datur tale; nam si daretur, sequeretur quod toties continuaretur materia prima, verbi gratia, quod toties annihilaretur indiuisibile continuatum, & quod toties continuaretur toties crearetur puncta continua, & sic creatura crearet & annihilaret, aut recurreret ad Deum abique necessitate.

Hoc argumentum non multum urget: Responderetur enim indiuisibilia quantitatibus subiectari in indiuisibilibus substantiis, & haec esse in substantia, sed nec creari, nec annihilari à causa secunda, nec recurrendū ad Deū ad nouam creationem aut annihilationem eorum: nam duae quantitates, quae terminantur indiuisibilibus, quando continentur non perdunt sua indiuisibilia, sed ponitur vnio in vno indiuisibili terminata ad aliud indiuisibile, & e contra; nec producit nouum aliquid indiuisibile. Rursus quando di continuantur duae quantitates aut substantiae, non perduntur indiuisibilia vlla, sed tollitur vnio vtriusque indiuisibilis remanentis, & terminantis partes separatas: & hinc habetur probabi & argumentum ad probanda puncta terminata, quia si non darentur de nouo quando continuaretur quantitates separatae, deberet produci per creationem nouum indiuisibile, quod est inconueniens, si potest aliter dici.

14 Probat Arriaga hanc partem: quia vel punctum additum parti facit maius, vel non facit maius. Si non facit maius, ergo non est extra partem, sed intra illā, & sic penetrat illam, & praeterea ad nihil deseruit. Si facit maius, ergo etiam punctum additum puncto facit maius, & sic tollitur praecipuum argumentum contra *Zeroneum*.

Respondeo non facere maius, sed intercedere inter ipsam ac aliam partem simul cum indiuisibili alterius partis.

Probat idem Auhor alio modo: quia vel puncta sunt eiusdem rationis cum partibus, vel non; si primum, ergo pars non differt à puncto, nisi quod constet varijs punctis: si secundum, ergo in igne & aqua sunt partes heterogeneae.

Respondeo esse diuersae rationis, quia impossibile est, quod punctum possit constituere per additionem punctorum continuum, supposito quod continuum non componitur ex indiuisibilibus. Ad illud autem, quod opponitur, dico in igne reperiri aliqua diuersae rationis, non tamen partes proprie loquendo, quia indiuisibilia non sunt partes continui, sed copulatiua partium ipsius.

Probat adhuc illo modo: quia sequeretur quod baculus, cuius pars esset in aqua, & pars in aere contiguo, haberet duo indiuisibilia immediata, vnum correspondens superficiei aquae, & alterum superficiei aeris.

Respondeo negando sequelam: quia quamuis vnicum tantum indiuisibile reperiretur inter duas partes baculi, quarum vna esset in aqua, & altera in aere, adhuc duae superficies contiguae possent tangere ipsum, sunt enim simul illae duae superficies.

Q V A E S T I O I V .

An indiuisibile separatum posset moueri.

35 Non est dubium, quin si separaret Deus aliquid indiuisibile à continuo ipsumque separatum conseruaret, posset ipsum ab vno in alium deferre, & quod sic posset moueri; sed quaestio est, an posset successiue, & continue moueri ab vno loco ad alium locum, pertranseundo spatium aliquid diuisibile.

C O N C L V S I O .

Indiuisibile separatum potest moueri continue & successiue ab vno loco ad alium. Haec est *Doctoris* in 2. d. 29. 9: cum suis contra *Conimbricenses*, *Ioannem à S. Thoma*, & alios.

Probat: quia quando sphaera tangens planum in puncto, mouetur super planum successiue, & continue, punctum illud, quod tangit planum, mouetur etiam successiue: imo quando mouetur quodcumque continuum solidum, vt lignum aut ferrum continue, omnia indiuisibilia ipsius mouentur continue & successiue; neque enim continuum tale potest moueri, quin omnia in ipso inclusa moueantur.

Dices: hinc sequi, quod indiuisibile possit moueri con-

tinue per accidens, ratione scilicet motus alterius; non vero, quod possit moueri sic per se: sed si esset separatum, non posset moueri alio modo, quam per se: ergo separatum nequit moueri, quamuis possit coniuuiri.

Contra primo: quia si potest naturaliter moueri successiue, & continue per accidens, nihil impedit quo minus possit supernaturaliter moueri sic per se, quod nobis sufficit.

Contra secundo: quia quidquid est difficultatis in motu per se ipsius, etiam reperitur in motu per accidens ipsius: ergo si vnus concedatur, alter concedi debet.

Probat: antecedens: quia difficultas motus per se ipsius est quod non appareat quomodo, cum sit indiuisibile, possit pertransire partem diuisibilem: sed vt moueatur per accidens, debet pertransire partem illam diuisibilem aequae, ac si moueretur per se.

36 Dices secundo: punctum sphaerae aut continui non moueri continue, sed discrete, quamuis ipsemet globus moueatur successiue, & continue.

Contra: quia praeterquam quod hoc sit, & contra sensum, adhuc est contra duplicem rationem.

Prima est, quod impossibile sit moueri aliquid continuum praesertim progressiue, quin quidquid in illo sit moueatur: ergo puncta continui nonquam quiescunt dum mouetur ipsum continuum, & consequenter non mouentur motu discreto, inter cuius partes intercedit quies.

Secunda est, quod inde sequeretur, quod naturaliter aliquid transiret de loco in locum distantem, non transeundo per medium, quod est absurdissimum.

Probat: sequela: quia si punctum continui in hoc instanti sit in hoc puncto loci, si debeat quiescere pro tempore immediate succedenti, & expectare aliud instans, in quo debeat poni in alio indiuisibili distante (prout debet fieri secundum hanc replicam) ergo ab hoc puncto spatij ad illud punctum spatij distans transit, non pertranseundo per partem diuisibilem interiacentem.

Obicies primo, Sequeretur, quod indiuisibile posset commensurari parti diuisibili, quod implicat: ergo.

37 Confirmatur: quia si moueatur indiuisibile continue, immediate, postquam tangit hoc punctum, deberet tangere aliud punctum; neque enim vnquam potest tangere aliquid diuisibile.

Respondeo, distinguendo maiorem: quantum ad hoc quod possit ipsum pertransire in tempore, concedo maiorem; quantum ad hoc, quod sit diuisibile, aut quod in instanti possit esse praesens ipsi, nego maiorem: & similiter distinguo minorem: est absurdum, quod commensuraretur ipsi primo modo, nego minorem: secundo modo, concedo minorem, & nego consequentiam.

Ad confirmationem respondeo negando sequelam, quia cum immediate post instans sequatur tempus, in quo indiuisibile mouetur, non poterit tangere indiuisibile, sed aliquid diuisibile; nec est inconueniens, quod indiuisibile motum successiue tangat aliquid maius: sicut enim ipsum corpus palmare motum per horam, potest tangere tota illa hora spatium decem palmarum, quod est multo maius, quam tale corpus, cum tamen non possit quiescere nisi in spatio palmari; ita indiuisibile motum per aliquod tempus necessario debet spatium maius tangere, & percurrere, quam ipsummet sit, & quam illud etiam, in quo potest quiescere.

Et hinc patet ad argumentum, quo ex tactu globi ad planum in indiuisibili inferre conantur aliqui, quod totum planum constaret indiuisibilibus; quia scilicet, si traheretur continue globus super planum illud continue, nihil plani relinqueret intactum: ergo, cum non possit tangere vnquam vni in indiuisibili, sequeretur quod planum constaret ex indiuisibilibus.

Respondeo, inquam, ad hoc ex iam dictis, quod licet non possit tangere aliquid plani in instanti, nisi indiuisibile, possit tamen & debeat in tempore successiue tangere aliquid diuisibile.

38 Obicies secundo, omne mobile est diuisibile secundum Philosophum: ergo punctum nequit moueri.

Respondeo, Philosophum loqui de his mobilibus, quae

Ccc

per se mouentur de facto; non vero de ijs quæ in quocumque casu supernaturaliter tantum possibili moueri possunt.

Obijciens tertio, quod mouetur debet partim esse in termino à quo, & partim esse in termino ad quem, dum mouetur: sed hoc non potest conuenire puncto: ergo nec moueri.

Confirmatur: quia mobile secundum Philosophum debet prius conficere, & acquirere spatium minus & æquale sibi, quam spatium maius.

Respondetur breuiter hæc debere intelligi de mobili, quod est diuisibile, non de indiuisibili.

Respondetur secundo, negando minorem obiectionis, quia indiuisibile dum in tempore mouetur est partim in prima parte, & partim in secunda, quatenus transit per primam, & secundam.

QVÆSTIO V.

Verum datur primum & ultimum mutatum esse in motu, ac prima & ultima pars eius?

Hæc quæstio solum habet difficultatem ex suppositione, quod continuum componatur ex partibus diuisibilibus in infinitum copulatis per indiuisibilia; nam si componeretur ex indiuisibilibus, posset assignari prima & ultima pars ipsius. Itaque suppono quantitatem vt sic, debere constare partibus indiuisibilibus in infinitum syncategorematicæ, quæ partes continuantur inter se indiuisibilibus, & consequenter quamlibet quantitatem siue successiuam, siue permanentem similibus partibus constare; & quemadmodum indiuisibile copulans partes superficiei, lineæ; ita etiam indiuisibile copulans partes motus vocari mutatum esse, & indiuisibile copulans partes temporis vocari instans. Quærimus ergo vtrum, quando aliquid mouetur successiue, possit assignari aut prima aut ultima pars istius motus, aut primum aut ultimum mutatum esse, id est, primum aut ultimum indiuisibile continuatum partium istius motus.

CONCLUSIO I.

39 *Non potest assignari prima aut ultima pars motus.* Est communis cum Philosopho: *Probat*: quia nulla pars motus est, quæ non est ulterius diuisibilis: ergo non potest assignari prima aut ultima pars eius.

*Probat*ur consequentia: quia illa pars non est prima aut ultima, quæ potest assignari prior aut posterior: sed omni parte motus potest assignari prior & posterior; nam omnis pars eius est diuisibilis in partes, quæ secundum prius, & posterius sibi succedunt: ergo, &c.

CONCLUSIO II.

40 *Non datur primum mutatum esse in motu, ultimum vero mutatum esse aliquando datur, aliquando non datur.* Prima pars est communis, & sequitur ex dictis: nam primum mutatum esse est indiuisibile motus præsupponens primam partem ipsius: sed ex dictis non datur etiam pars motus: ergo neque primum mutatum esse.

Ultimū
aliquan-
do datur
aliquan-
do non.

Secunda pars non est tam communis.

*Probat*ur tamen, quia omnis motus finitus habet terminum indiuisibilem, quo clauditur: ergo si mobile persistat in esse, donec acquirat illud indiuisibile, poterit assignari ultimum indiuisibile sui motus: verbi gratia si aliquid lignum moueatur ad calorem vt tria, quandoquidem iste calor vt tria habeat indiuisibile terminatiū suum in instanti, quo acquireret istud indiuisibile, finiretur motus eius, & in eodem instanti reperiretur ultimum mutatum esse motus.

*Probat*ur tertia pars: quia si mobile desineret esse in illo instanti, in quo deberet acquirere ultimum indiuisibile formæ, ad quam mouetur: motus ipsius non haberet ultimum mutatum esse, vt patet: ergo, &c.

CONCLUSIO III.

41 *Primum indiuisibile motus aliquando datur, aliquando non: est contra Ruinum lib. 6. Physic. c. 6.*

*Probat*ur prima pars: non potest assignari aliqua forma diuisibilis quin omnia indiuisibilia eius acquirantur; sed calor vt quatuor sicut habet indiuisibile terminatiū

sui ultimæ partis, ita habet indiuisibile initiatiū primæ partis, vt patet, eadem enim est ratio: ergo sicut non potest acquiri secundum se totum, nisi acquiratur illud ultimum indiuisibile terminatiū, ita etiam non acquiritur perfecte, nisi acquiratur indiuisibile initiatiū: sed illud indiuisibile initiatiū acquiritur per indiuisibile initiatiū motus, sicut indiuisibile terminatiū acquiritur per ultimum indiuisibile motus: ergo datur quandoque in motu primum indiuisibile initiatiū.

*Probat*ur secunda pars: quod mouetur localiter ab vno loco ad alium continuum, non prius acquirat indiuisibile loco acquirendi, quam partem ipsius: ergo motus eius non habet indiuisibile initiatiū. Cōsequentia patet, quia si motus ille haberet indiuisibile initiatiū, deberet per illud acquiri indiuisibile initiatiū loci, ad quem est motus. *Probat*ur antecedens: quia indiuisibile initiatiū sequentis loci est terminatiū precedentis; sed dū erat mobile in loco precedentis, habuit illud indiuisibile iā acquisitum: ergo non acquirat illud per motum sequentem, neque per aliquid ipsius, & consequenter, quod primo acquiratur per illum motum est aliqua pars diuisibilis loci sequentis.

42 *Obijciens contra primam partem Philosophus negat primum indiuisibile in motu: ergo, &c.*

Respondetur, eum loqui de indiuisibili, quod vocatur mutatum esse.

Obijciens contra secundam partem: sequeretur illum motum non habere principium, & consequenter esse infinitum.

Respondetur, distinguendo antecedens: non habere principium intrinsecum positum, concedo: principium extrinsecum, in quo verificaretur, quod non esset motus, nego: & distingo consequens: categorematicæ, concedo; syncategorematicæ, nego consequentiam.

Dices: si nullas motus potest initiari per diuisibile, quare non possit omnis sic initiari?

Respondetur, quia aliquando supponitur ante motum esse acquisitum terminum acquirendum per indiuisibile ipsius, & aliquando non supponitur acquisitus: hinc enim potest aliquis motus habere indiuisibile initiatiū suum, & aliquis non potest.

QVÆSTIO VI.

Quomodo incipiant & desinant res.

43 **H**æc etiam quæstio supponit constitutionem continui, & temporis ex partibus diuisibilibus in infinitum: nam si coponeretur ex indiuisibilibus, esset extra controuersiam, quod omnis res inciperet in instanti intrinseco, in quo verum esset dicere, quod iā est res vel secundum se totum, vel secundum aliquid sui, & immediate ante non fuit, nec secundum se totum, nec secundum aliquid sui, nec minus esset extra controuersiam, quod desineret in instanti, in quo verum esset etiam hæc res non est, nec secundum se, nec secundum ullam partem sui, & immediate ante fuit, vel secundum se, vel secundum aequam partem sui. Supponit etiam præterea secundum communem resolutionem, quod præter partes dentur in continuo indiuisibilia; alias non posset esse verum, quod communiter supponitur, res incipere, & desinere in instanti extrinseco, vel intrinseco: neque enim in eo, quod non esset, incipere, aut desinere posset: Verum quidem est, eos, qui non admittunt indiuisibilia, adhuc conari explicare, quomodo res incipiant ac desinant: sed suppositio hæc est secundum communiolem sententiam.

44 In hac ergo communi sententia, quandoquidem non possit assignari nec prima, nec ultima pars temporis, in qua res vlla, aut incipere aut desinere posset, recurritur ad aliquod instans, in quo res dicatur incipere aut desinere, & quia nec res successiua, nec quæ successiue produci-
Quomo-
do inci-
piunt &
desinant
res.
tur, potest produci in instanti, quia si sic produceretur, non esset successiua, nec successiue produceretur, sed simul: propterea dicunt assignanda esse duo instantia, in quorum alterutro omnis res incipit produci; & duo alia instantia, in quorum alterutro incipit desinere: illa enim de quibus verum est dicere: *in hoc instanti sunt, & immediate ante*

ante non erant, dicuntur incipere in instanti extrinseco, & per primum sui esse; & talia solum sunt res, quae non producantur successu: illa vero, de quibus non est verum dicere; iam sunt, & immediate ante non erant; sed potius de quibus verum est dicere, quod iam non sunt, & immediate postea erunt, dicuntur incipere per ultimum sui non esse; & hoc instans vocatur extrinsecum, quia non est verum dicere de rebus, quod sunt in illo; vocatur etiam ultimum non esse, quia est ultimum instans ex omnibus, quibus non fuit producta res. Unde patet duo esse instantia in ceptionis rerum, intrinsecum, in quo verum est: iam primo res est; & intrinsecum, in quo verum est, iam ultimum res non est. Similiter aut res definit in instanti in quo verum est dicere: iam non est, & immediate ante fuit, & dicitur desinere per instans intrinsecum, non quidem definitioni, sed potius durationi rei; ac etiam per primum sui non esse, quia illud instans est primum ex omnibus, quibus res post existentiam non est. Aut desinit in instanti, in quo verum est dicere: iam res est, & immediate post non erit; & quae hoc modo desinit, dicuntur desinere in instanti intrinseco, non tamen definitioni, sed durationi; & etiam per ultimum sui esse, quia illud instans est ultimum ex omnibus, in quibus res existit. Quod si aliquis vellet dicere rem ullam posse incipere in instanti, in quo non est, nec desinere in instanti, in quo est, excitabit questionem de nomine tantum; nec enim de re ipsa dubitari potest; nam certum est posse dici de aliquibus rebus, quod in hoc instanti non sunt, & immediate post erant; & hoc est, quod significatur per in ceptionem in instanti extrinseco; & per in ceptionem secundum ultimum sui non esse; nec minus certum est posse dici de aliquibus rebus, quod in hoc instanti non sunt, & immediate ante fuerint; & hoc est, quod significatur per definitionem in instanti extrinseco, ac per definitionem secundum primum sui non esse.

CONCLUSIO I.

45 Non est necesse ad explanationem in ceptionis rerum recurrere ad instantia extrinseca sic, quin aequè bene possit explicari quando incipiunt ac desinunt, non recurrendo ad illa instantia ac recurrendo, etiam supponendo, quod desint instantia temporis ac partes in infinitum divisibiles. Hæc est nullius, quod sciam.

Probat: si esset recurrendum ad illa instantia, maxime propter entia successiva, quasi horum in ceptio, & definitio aliter explicari non possit: sed potest ergo non est necessarium ad illa recurrendum.

Probat: minor: quia potest dici quod motus hodiernus inceperit hodie, & quod desinet post diem hodiernum.

Confirmatur primo: incipere rem aliquam est idem, ac esse pro aliquo tempore, ac immediate ante non fuisse; sed est verum quod motus hodiernus sit hodie, & quod non fuerit ante; ergo potest dici de ipso, quod hodie incipit.

Confirmatur secundo: qui dicunt quod motus incipit in instanti extrinseco, in quo verum est dicere, iam non est, & immediate post erit, debent admittere quod immediate post erit positum quoad esse suum; & quod ante illud tempus, quod immediate post erit, non fuerit: ergo possent dicere quod incipiat in illo tempore, quod immediate post erit, & sane non potest aliter dici de in ceptione positiva intrinseca ipsius.

46 Confirmatur tertio: quia quando dicitur quod immediate post instans extrinsecum, in quo motus non est, motus erit, supponitur esse aliquod tempus sequens: sed non est ullum tempus immediate sequens quoad omnes partes illius temporis, ita, ut quaelibet pars ipsius temporis immediate sequatur, quia prior pars temporis immediatius sequitur quam posterior, sed solum tempus immediate sequitur sic, ut inter instans illud, & omnes partes temporis sequentis collectivè acceptas, nihil mediæ: ergo similiter quando diceretur quod motus inciperet in tempore illo sequenti, non esset sensus quod motus inciperet in omni parte temporis sequentis, sed sensus esset quod motus quoad omnes partes suas haberet esse

in tempore illo, & quod non habuerit esse suum, nec ullius partis suæ ante omnes partes illius temporis collectivè acceptas: sed hoc est certum: ergo certum est quod incipiat in tempore illo immediate sequenti.

Confirmatur quarto: Quando quaeritur de in ceptione rei successivæ, vel quaeritur de in ceptione eius quoad omnes suas partes collectivè acceptas, vel de in ceptione ipsius quoad aliquam partem sui. Si primum, impossibile est assignare aliquod instans aut intrinsecum, aut extrinsecum, in quo incipiat; quia alias non esset successivum, cum suæ partes deberent necessario esse simul. Sed bene potest assignari tempus intrinsecum, in quo incipit, nimirum hora, aut dies, in quo verum est dicere, motus ille habuit omnes suas partes in illa hora, & nunquam antea habuit omnes suas partes. Si secundum dicatur, cum vel quaeritur de in ceptione ipsius quoad partem aliquam determinatam, quæ secundum se totam accipit esse suam post non esse immediate præcedens ita, ut nunquam antea habuerit totum suum esse; & potest etiam assignari tempus intrinsecum, in quo fit, nempe si pars illa determinata, sit media pars motus horarii, potest dici quod incipiat motus horarius in prima media hora quoad primam partem simpliciter, ante quam non est vlla alia pars, & hoc modo non potest dici quod incipiat vltra; quia non habet primam partem talem, ut patet ex dictis quaestione præcedenti.

CONCLUSIO II.

47 Non potest assignari ullum instans, in quo successiva non potest assignari, per se, aut illa, quæ acquiruntur successivè, incipiunt, nisi si instans extrinsecum, unde si debeant dici incipere in vltimo instanti, debent dici incipere in instanti extrinseco; & per ultimum sui non esse. Hæc est certa apud omnes: & successiva incipiunt nisi extrinseco. ratio est manifesta, quia eo ipso, quod sunt successiva, aut quod successivè acquiruntur, non potest fieri quod vlla pars ipsorum simul producat, & consequenter nequit dici pro vltimo instanti de ipsis: iam prius sunt & immediate ante non fuerunt. Sed bene potest assignari instans, in quo verum sit dicere: iam non sunt, & immediate post erunt: & illud instans est ultimum ex omnibus, quibus non acceperunt suum esse, & est extrinsecum durationi ipsorum, quandoquidem in eo non sunt ergo solum possunt dici incipere in instanti extrinseco, & per ultimum sui non esse.

CONCLUSIO III.

48 Non potest assignari aliquod instans intrinsecum, in quo successiva desinunt per ultimum sui esse, sed necessarium est desinere in instanti, in quo verum est dicere: iam non sunt, & immediate erant. Hæc est extra controversiam: & patet, quia cum sint successiva, nec secundum se tota, nec secundum vllam partem sui possunt esse in instanti; ergo nequit pro vltimo instanti vere dici de ipsis, iam sunt, proprie loquendo: sed pro aliquo instanti potest dici de ipsis, iam non sunt, & immediate ante erant, & illud instans est primum instans, quo post esse non habuerunt esse: ergo non possent desinere per ultimum sui esse, sed per primum sui non esse.

Dices contra has duas conclusiones: potest primum indivisibile initium motus acquiri in instanti, & potest etiam ultimum indivisibile terminatum motus esse in instanti: ergo potest dici quod motus incipiat intrinsece in instanti intrinseco durationi eius, in quo verum sit dicere: iam est motus, & immediate non fuit, & potest etiam desinere in instanti, in quo verum est dicere, iam est motus, & immediate post non erit. Probat: consequentia quia in illo instanti, in quo acquiritur primum indivisibile motus, potest dici quod ipse motus sit, sicut & in instanti in quo acquiritur ultimum indivisibile eius.

Respondeo distinguendo consequens: potest dici quod incipiat in tali instanti, quatenus aliquid spectas ad motum, sed quod non sit reuera motus, tum incipiat, concedo; & sic etiam potest dici quod desinat motus in tali instanti intrinseco, quatenus aliquid motus tum sit, & postea non erit, quod tamen non sit motus: potest dici quod motus secundum se tum incipiat, aut desinat, quatenus

quantenus aliquid, quod sit reuera motus aut successuum sit in illis instantibus, nego consequentiam.

CONCLUSIO IV.

49 *Qua successine acquiruntur, sed non sunt essentialiter successina, sed permanentia, & conseruabilia, ut calor, & frigus, ac similia, possunt desinere aut in instanti intrinseco aut extrinseco ita, ut possit dici de ipsis, aut quod iam sint, & immediate postea non erunt, aut quod iam non sint, & immediate ante fuerint.* De hac etiam nequit esse controuersia vlla realis: & patet: quia Deus potest conseruare calorem productum per horam vsque ad vltimum instans istius horae inclusus, ut certum est, & potest non conseruare ipsum vltius: sed in tali casu esset verum dicere: iam calor est, & immediate post non erit: ergo potest calor desinere per vltimum sui esse.

Rursus, posset conseruare calorem per horam, vsque ad vltimum instans, exclusus, & non conseruare ipsum in illo instanti: sed in illo casu desineret, & verum esset dicere iam non est, & immediate ante erat: ergo potest desinere per primum sui non esse.

CONCLUSIO V.

50 *Indiuisibilia quaecumque, & diuisibilia etiam indiuisibilibus acquisita, hoc est, quorum partes non producuntur successine, incipiunt in instanti intrinseco per primum sui esse, ita, ut verum sit dicere: nunc sunt, & immediate ante non erant; desinunt etiam quandoque in instanti extrinseco per primum sui non esse, quandoque in intrinseco per vltimum sui esse.* Hæc quoque secundam partem est communissima: & patet, quia huiusmodi producta in instanti possunt non conseruari vltius, & sic desinere in instanti intrinseco per vltimum sui esse: quia verum esset dicere, iam sunt, & immediate post non erunt; possunt etiam conseruari vltius vsque ad aliquod instans, & in illo non conseruari: tum autem desinere per primum sui non esse in instanti extrinseco, in quo verum est dicere; iam non sunt, & immediate ante erant: & sane hoc modo necessario debet desinere omnis forma substantialis, quæ per illam formam productam in instanti expellitur: nam in instanti, in quo producitur forma expellens, non potest existere altera forma, aliàs duæ formæ contrariæ essent simul in eodem instanti reali, in gradibus, in quibus opponuntur; & si possent esse pro vno instanti simul, posset pro tota æternitate, & consequenter non essent contrariæ: ergo debet non esse tum forma expellenda, & eadem debet esse in tempore immediate antecedenti: alia materia prima naturaliter esset absque vlla forma substantiali pro aliquo tempore.

51 *Dicitur: forma expellens est causa formalis expulsiōis: ergo debet prius esse in materia, quam fiat expulsiō; sed antequam fiat expulsiō, debet esse forma expellens; ergo pro aliquo priori sunt simul forma expellenda, & expellens.*

Respondeo, distinguendo subsumptum: debet esse forma expellenda ante expulsiōem negatiue in prioritate aliqua naturæ, transcat subsumptum; debet esse prius positue, nego subsumptum. Et ne difficilis hæc doctrina appareat, confirmanda est exemplis certis, & communiter admissis. Itaque, quemadmodum prius est negatio volitionis, ac nolitio in potentia volitiua, quam exerceat actum, quia per actum formaliter expellitur illa negatio; & quemadmodum materia prima producta simul cum forma substantiali prius natura habet priuationem formæ substantialis, quam ipsam formam; cum tamen certum sit, quod negatio non sit positue in voluntate ante actum, aut priuatio in materia positue ante formam, quia alias contradictoria essent simul vera simpliciter loquendo de eodem subiecto, verbi gratia, habere formam & non habere formam pro aliquo instanti temporis: quæ enim sunt positue in aliquo subiecto pro aliquo instanti etiam naturæ, simpliciter dicuntur de ipso pro instanti temporis, in quo omnia instantia naturæ includuntur: ita forma expellenda potest esse negatiue in materia ante expulsiōem, licet non possit esse positue in illa.

Si autem quæras, quid est formam esse negatiue in materia, aut subiecto ante expulsiōem.

Respondeo, non esse aliud, quam quod forma esset ibi, quantum est ex parte subiecti, & formæ, nisi aduenisset impedimentum alterius formæ incompatibilis, ac consequenter expulsiōis. Vnde si intellectus consideraret subiectum sub aliqua forma in aliquo tempore, aut instanti, quia non habet ex natura subiecti, aut formæ rationem aliquam ob quam posset considerare formam non manere in illo subiecto, nisi consideret aliam formam aduenire; propterea potest existimare, quod forma sit in aliquo priori in illa materia, & quod expellatur per formam posteriorem aduenientem. Reuera autem forma non est tum, sed esset; & alia forma non expellit ipsam per aliquem influxum positium, sed eatenus expellit ipsam, quatenus positio ipsius est causa, quare illa non ponatur in illo instanti. Vnde non debet proprie loquendo intelligi forma esse ibi pro illo instanti, quia reuera non est tum, sed debet intelligi quod esset, nisi altera forma poneretur: & in hoc consistit causalitas formalis expulsiua, quam exercet forma, quæ aliam expellit: de quo in re nequit esse difficultas.

54 *Probatur prima pars conclusionis*, quæ est etiam communis, licet aliqui putent tales formas, non tam necessario produci in instanti, quin possint produci in tempore.

Probatur inquam, hæc pars: quia cum sint indiuisibilia, seu indiuisibiliter producibilia, nihil impedit quo minus in instanti semper producantur: & ex alio capite conaturalius est, quod sic producantur, quam quod producantur in tempore.

Probari solet secundo communiter quia implicat produci rem indiuisibiliter productam in tempore: ergo necessario debet produci in instanti.

Probatur antecedens: quia si producerentur in tempore, deberet produci tota secundum omnes partes in toto illo tempore, & non secundum partem in parte temporis, & aliam partem in alia parte temporis: aliàs non produceretur indiuisibiliter: sed non posset sic produci, quia eo ipso quo produceretur tota in prima parte temporis, non posset produci in secunda parte; nam productio dicit ordinem ad non esse præcedens rei productæ: sed productio rei in secunda parte temporis non diceret talem ordinem, quandoquidem supponatur res producta in priori parte temporis: ergo non esset productio; sed potius conseruatio.

Hæc probatio, si valet, euidenter probat dari indiuisibilia in tempore, quia certum est res indiuisibiles, ut Angeli, & indiuisibiliter productas, ut lumen in aëre, & animæ viuientium, saltem perfectorum, posse produci, ergo cum nequeant produci in tempore, iuxta hanc probationem, debent necessario produci in instanti: imo illa ipsa productio ipsorum potest esse instans extrinsecum, quo duratio aliarum rerum instantanearum mensurari possit. At reuera non caret difficultate hæc probatio: nam sicut post productionem instantaneam possunt conseruari in suo esse in tempore immediate sequenti, & hoc siue per eandem ipsam actionem, qua producebantur, ut multi putant, siue per aliam diuersam, ut existimant alij: ita videtur fieri posse, ut quamuis non producerentur in instanti antecedenti, possent produci primo in illo tempore.

53 *Confirmatur*: quia si actio illa, per quam producitur in tempore, sit illa ipsa actio, per quam producitur in instanti, existentia ipsius in tempore illo non videtur dependere vlla ratione ab instanti antecedenti; neque enim assignari potest, in quo genere causæ dependeret, nec etiam ostendi potest quomodo existentia illa instantanea possit habere rationem conditionis sine qua non ad existentiam eiusdem actionis in tempore post instantem; & vniuersaliter loquendo non videtur, quod vlla res existens pro tempore posteriori possit habere necessariam, ac immediatam dependentiam ab illo existente tempore, aut instanti priori, unde nec vlla causa per se effectus debet existere tempore ante ipsum effectum, & si existat, id impertinens est ad productionem effectus: Quod si actio, qua ponitur res in tempore, sit illa actio, eadē ratione, & forte clarius sequitur

Successiue acquiruntur, sed non sunt essentialiter successina, sed permanentia, & conseruabilia, ut calor, & frigus, ac similia, possunt desinere aut in instanti intrinseco aut extrinseco ita, ut possit dici de ipsis, aut quod iam sint, & immediate postea non erunt, aut quod iam non sint, & immediate ante fuerint.

Indiuisibiliter acquisita, hoc est, quorum partes non producuntur successine, incipiunt in instanti intrinseco per primum sui esse, ita, ut verum sit dicere: nunc sunt, & immediate ante non erant; desinunt etiam quandoque in instanti extrinseco per primum sui non esse, quandoque in intrinseco per vltimum sui esse.

Quid est formam esse ne.

Indiuisibiliter acquisita, hoc est, quorum partes non producuntur successine, incipiunt in instanti intrinseco per primum sui esse, ita, ut verum sit dicere: nunc sunt, & immediate ante non erant; desinunt etiam quandoque in instanti extrinseco per primum sui non esse, quandoque in intrinseco per vltimum sui esse.

sequitur, quod non possit habere dependentiam ab actione instantanea priori.

54 *Dicitur* rem indiuisibilem conseruari posse in tempore, quia in hoc nulla est repugnantia; nam ad conseruationem non requiritur, nisi productio cū respectu ad esse immediate præcedens. Supposito autē, quod res producat pro instanti ante tempus, si maneat aut eadem productio, aut adueniat alia pro tempore sequenti, dicitur respectum ad esse rei immediate præcedens, & consequenter potest habere rationē conseruationis. At talis res nō potest produci primo in tempore: hoc enim implicaret, quia productio dicit respectum ad non esse immediate præcedens: sed in tempore illo nullū est instans, nec pars temporis, in quo possit dici: iā est res illa, & immediate ante non fuit; quandoquidem non detur prima pars in tempore illo, nec primum instans: ergo res non potest produci in illo tempore, quamuis posset conseruari.

Contra: quia licet non posset assignari aliqua pars, aut instans, in quo primo producat res; tamen potest ita produci in illo tempore toto sic, ut verum sit dicere, quod sit in illo tempore, & quod non fuerit in instanti immediate præcedenti. Deinde quamuis non posset propter hanc replicam incipere in instanti, aut tempore intrinseco, quemadmodum nec successiva incipiunt; posset tamen incipere in instanti extrinseco, in quo verum est dicere iam non est, & immediate post erit.

55 *Confirmatur*: ut res permanens ac indiuisibilis producat simpliciter, non est necesse, ut possit assignari aliquod instans, in quo dicatur iam est, & immediate ante non fuit; ut patet manifeste in creatura, quæ produceretur ab æterno: ergo nec, si producat in tempore, est necesse assignare tale instans.

Præterea, Angelus productus in instanti potest non conseruari ulterius, & ipsa non conseruatio ipsius est intrinsece in tempore sequenti; ergo productio etiam ipsius posset esse in illo tempore: quidquid enim difficultatis est de productione, est de deitione, meo iudicio. Hoc est, quod occurrit mihi contra prædictam probationem; quam qui voluerit tamen amplecti, soluat hanc difficultatem.

CONCLUSIO VI.

56 *Non datur modus incipiendi aut desinendi, præter prædictos, supposito quod continuum componatur ex partibus diuisibilibus copulatis indiuisibilibus.* Hæc est communis contra quosdam recentiores, qui volunt etiam aliquas res incipere sic, ut verum sit de ipsis dicere: in hoc instanti est res, & immediate etiā ante fuit; sic tamen, ut nō possit assignari aliquod determinatum instans, in quo verum sit dicere, quod fuerit, quia scilicet producta fuit in tempore indeterminato; & qui similiter volunt quosdam res sic desinere, ut verum sit dicere de ipsis: in hoc instanti non sunt, & immediate ante non fuerunt; sic tamen, ut inter instans, quo inceperunt, & instans huiusmodi, quo desinunt, non possit assignari aliquod instans, in quo verum sit dicere, quod non sint. Quod si queratur quomodo possit dici incipere res in instanti, ante quod possit dici, quod fuerit; aut desinere in instanti, ante quod verum sit dicere, quod non fuerit; respondebunt fortassis, quod dicatur tum incipere, quia illud est primum instans determinatum, in quo non sit; & dicatur tum desinere, quia illud est primum instans determinatum, in quo verum sit dicere, quod non sit.

Probat conclusio: sicut assignari potest instans determinatum post tempus indeterminatum, in quo res antecederet fuit, ita potest signari instans determinatum antecederet ad tempus illud indeterminatum; neque enim est maior ratio de vno, quam de altero: ergo posset recurri ad illud instans antecedens, tanquam ad instans inceptionis rei, in quo verum esset dicere, iā res non est, & immediate post erit, iuxta vnum ex modis incipiendi supra specificatis, & communiter admissis; & sic frustra recurritur ad hunc novum incipiendi modum.

Confirmatur: quia absurdum esset, quod Deus non sciret, quādiu habuit negationem alicuius actionis successi-

uæ, quam habere debet in tempore: ergo potest assignare vltimum instans, in quo verum est dicere, iam nō habuit illam actionem, & immediate post eā habebit: ergo non potest assignari aliqua actio ipsius aut res producta per actionem, quin verum sit dicere determinate, pro hoc instanti non est actio illa, aut res producta per actionem, & immediate post erunt.

57 *Confirmatur secundo*: quia si detur primum instans determinatum post tempus indeterminatum, in quo res sit, ut datur secundum aduersarios, ac instans vltimum determinatum, in quo vltimo res non sit, ut debet dari ex iā dictis, sequitur quod tempus intermedium sit determinatum: tempus enim quodcumque, cuius extrema sunt determinata, est determinatum. Sed hinc ulterius sequuntur duo absurda; vnum quod tempus, quod volunt aduersarij esse indeterminatum, nō sit indeterminatum, quod est contradictio; Alterū, quod possit assignari aliquod instans ante instans inceptionis assignatum ab aduersariis, in quo verum sit dicere, quod res sit, vel secundū se totā, vel secundum aliquā partem sui, quia inter quæcumque duo instantia determinata potest Deus assignare aliquod aliud instans determinatum: ergo in illo instanti potest dici, quod res sit; neque enim potest dici, quod res non sit; alias instans antecedens tempus illud non esset instans vltimum, in quo verum esset, iam vltimo res non est, cum daretur aliud instans posterius, in quo non esset: Hoc argumentum probat non dari modum inceptionis ab aduersariis significatum, & simile potest fieri facile contra modum deitionis, de quo eadem est ratio, ac de altero inceptionis, quantum ad hoc.

Confirmatur tertio: quia absurdum videtur, quod Deus nō sciat quantum temporis impenderit in productione alicuius rei, nec posset scire quantum excesserit duratio vnius rei durationem alterius: sed hoc non sciret secundum aduersarios, quia si non vellet rem, quæ incepit determinate in hoc instanti, & indeterminate in tempore indeterminato antecedente, ulterius conseruare, nō posset ostendere quādiu existerit, aut quādiu res conseruata per integrā horam existerit diutius, quam illa res: si enim posset id ostendere, iā tempus indeterminatum non esset indeterminatum. Adde ad hæc sine necessitate, aut fundamen o excogitari hunc modum incipiendi, aut desinendi, ut patebit ex solutione obiectionum.

58 *Obijcies primo*: Deus potest imponere homini præceptum amandi ipsummet aliquando ante mortem, non determinando aliquod tempus. Sed si talis non amaret, nisi immediate ante mortem, non transgrediretur præceptum; nec potest assignari, quando determinate obligabitur ante mortem, quia quodcumque instans assignaretur, adhuc remaneret tempus obseruandi præceptum: ergo peccatum ipsius incipiet indeterminate, & consequenter gratia ipsius expulsa per illud peccatum desinet indeterminate.

Respondeo, talem non posse obligari pro tempore indeterminato, ut voluit aduersarij: Sed obligabitur pro quocumque instanti, aut tempore determinato, pro quo aduertit periculum esse, nisi tum obseruet præceptum, non posse obseruare illud postea, aut timendū esse probabiliter, quod non possit; nec in hoc est aliqua difficultas.

59 *Obijcies secundo*: Sacramenta, quæ sunt entia successiva, causant gratiā: sed non causant ipsam in instanti, in quo non sunt: ergo in parte indeterminata, in qua sūt secundum aliquam partem indeterminatā sui: ergo gratia incipit in instanti, in quo desinunt Sacramenta extrinsece; sic tamen, ut verum sit dicere, iam sunt, & immediate ante erant, licet non possit determinari instans aliquod, in quo ante erant.

Respondeo primo: si ideo Sacramenta non causant gratiā in instanti, in quo non sunt, quia non sunt in illo instanti, & quod non est nequit aliud producere; etiā ea nō possent causare gratiā in parte indeterminata, quia neque sūt in parte illa indeterminata. Et si dicas, quod sunt in illa parte, quia sunt ibi secundū partē aliquam sui, possunt etiam dici causare gratiā in instanti, in quo verū est dicere, iā non sunt, & immediate ante erant, quia sunt in illo

instanti secundum ultimum indiuisibile terminatum sui esse; unde non est recurrendum ad partem indeterminatam.

Respondet secundo directe, negando antecedens; cum enim causent moraliter, secundum veriorum sententiam, bene possunt causare quando non sunt. Quod si etiam causarent physice, adhuc causare possent, ut paulo ante dixi, tum ratione sui indiuisibilis terminatiui, tam bene quam possent causare in parte indeterminata temporis, ratione partis indeterminatæ suæ.

QVÆSTIO VLTIMA.

Utrum corpora continua habeant terminum suæ magnitudinis & paruitatis.

60 *D*uo sunt corporum continuorum genera, de quibus dubitari potest quantum ad hanc questionem: unum enim est eorum, quæ non sunt ordinata ad animam, ut sunt homogenea, verbi gratia ignis, aqua, oleum, vinum. Alterum eorum, quæ sunt ad animam ordinata, ut sunt organica corpora, hominis, verbi gratia, leonis, formicæ, &c.

Terminus autem magnitudinis & paruitatis alicuius rei est duplex; vnus intrinsecus, extrinsecus alter.

Terminus intrinsecus magnitudinis est illa quantitas, sub qua res ita esse potest, ut non possit sub maiori esse, ut si homo possit esse quinque cubitorum, & non maior; tum enim si haberet quantitatem quinque cubitorum, haberet terminum intrinsecum magnitudinis suæ; vocatur autem hic terminus à philosophis *maximum quod sit*, quia est maxima quantitas, quam res potest habere.

Terminus extrinsecus magnitudinis est illa quantitas, quam res habere non potest, sed habere possit quamcumque minorem; ut si homo habere non possit magnitudinem sex cubitorum, possit tamen habere quamcumque minorem, tum magnitudo sex cubitorum esset terminus extrinsecus magnitudinis hominis. Et hic terminus vocatur *minimum quod non*, quia ex omnibus quantitatibus, quas res habere nequit, maioribus suæ quantitate, illa est minima.

Terminus intrinsecus paruitatis est illa quantitas, quam res habere potest, & qua minorem habere non potest, ut si homo possit conseruari sub magnitudine vnus cubiti, sed sub minori conseruari non possit; ista quantitas cubitalis esset terminus intrinsecus paruitatis eius. Hic terminus vocatur *minimum quod sit*, quia est minima quantitas, sub qua res potest esse.

Terminus extrinsecus paruitatis est illa quantitas, sub qua res esse non potest, sed sub quacumque maiori usque ad terminum intrinsecum vel extrinsecum magnitudinis suæ possit esse: & hic terminus vocatur *maximum quod non*, quia ex omnibus quantitatibus minoribus quantitate suæ, quam non potest res habere, illa esset maxima. Quæritur ergo modo, utrum corpora naturalia siue viuientia siue non viuientia habeant terminos intrinsecos vel extrinsecos suæ magnitudinis, & paruitatis naturaliter; nam de potentia Dei absoluta non est alia difficultas hic præter eam, quam habuimus in disputatione de Infinito, in qua resoluius Deum posse producere corpus infinitæ magnitudinis: quod si etiam non possit, non est vlla implicancia quocumque finito corpore maius vel minus producere: unde in ordine ad ipsius potentiam non potest assignari terminus finitus determinatus magnitudinis aut paruitatis.

CONCLUSIO I.

61 *C*orpora non viuientia seu non ordinata ad animam non habent terminum finitum determinatum magnitudinis aut paruitatis. Hæc est *Secundum 2. d. 2. q. 9. n. 3*; 1. quem præter suos sequuntur recentiores communiter, speciatim *Ruinus 1. Physic. cap. 4. qu. 2. Auerſa q. 38. sect. 1. Amicus tract. 16. qu. 2. Arriaga disp. 3. de generat. num. 51. contra Thomistas communiter*, quorum tamen aliqui concedunt conclusionem quoad terminum magnitudinis, negant quoad paruitatem: alij eam negant quoad utrumque ut *Complutenses disp. 27.*

Probat per primam partem: quia corpora aliqua huiusmodi quo maiora sunt, eo maiorem habent in se virtutem agentis, ut patet in igne: ergo assignata quacumque magnitudine finita ignis, si applicetur stupæ, poterit ipsam comburere, & conuertere in ignem, eoque igne sibi continuato se augere quoad magnitudinem, quantum est ex natura sua, nisi eousque cresceret, ut iam non esset amplius locus vterius occupandus, nec plus materiæ in quam ageret; quo casu haberet quidam terminum, ultra quem non posset crescere, sed hoc non esset ex natura sua, sed ab extrinseco, & consequenter impertinenter ad questionem præsentem: ergo non datur terminus vllus determinatus, ultra quem ignis ex crescere non posset naturaliter, quantum est ex se, si haberet locum quem occupare posset, & materiam in quam ageret.

Confirmatur hoc: quia ignis in minori quantitate, quam esset ignis maximus possibilis, posset augere suam magnitudinem per combustionem materiæ combustibilis sibi applicatæ: ergo & ignis ille maximus.

Probat per consequentiam: quia ignis virtus non diminuitur vlla ratione per additionem partium ignis, quibus redditur maximus, ut manifestum est: ergo si in minori quantitate posset augere se, poterit in maiori; & sane oppositum videtur prima facie tam impossibile, ut mirum sit viros doctos id tenere.

62 *Complutenses respondent primo*, satis probabile esse, quod ignis maximus possibilis possit in se conuertere stupam applicatam; sed tum, inquit, ignis ille non esset in statu debite dispositionis vel conseruationis, sed in statu corruptionis ac viæ ad interitum: quando autem ipsi dicunt corpora habere terminum intrinsecum magnitudinis, loquuntur de illis, ut sunt in statu debite dispositionis ac conseruationis.

Contra: quia adiunctio aliarum partium ignis non ponit ipsum in statu corruptionis, aut viæ ad interitum magis quam ante erat: tum quia, ut dictum est in probatione, & patet ad sensum, quo maior est ignis, eo magis resistit, & difficilius corrumpi potest; tum quia illa pars adiuncta non diminuit aliquid de qualitatibus conseruationis ignis, nec agit villo modo in partes priores, nec auget virtutem actiuam agentium contrariorum: ergo non reducit ignem ad statum interitus, aut indebitæ dispositionis.

63 *Respondet secundo ex Caiet. & Nazario*, in eo casu ignem combusturum quidem stupam, sed non vnitum sibi ignem ex eo generatum vniione continuatiua, sed tantum contiguiua; & quamuis oppositum apparet sensui, corrigendus esset, sicut in alijs casibus corrigi debet.

Confirmant hoc: virtus, quam habet ignis ad vniendum sibi nouam materiam, habet statum suum non minus, quam augmentatiua in homine: ergo sicut hæc quando pertingit ad statum suum, nequit vterius aliquid homini adiungere, quo crescat, ita nec illa igni.

Hæc responsio non magis sufficit, quam præcedens, nec minus est incredibilis; quod probatur: quia ignis minoris virtutis, aut saltem non maioris, nempe ignis minor, non solum habet virtutem productiuam ignis, sed vnituiam sibi, secundum aduersarios: ergo & ignis maximus, quem assignant ipsi, qui vel est maioris virtutis, vel certe non minoris.

Confirmatur: quia ignis non habet virtutem vnituiam alterius ignis sibi, nisi producendo ipsum in parte propinqua ac contigua: ergo si ignis maximus producat ignem alium in parte sibi propinqua, habet virtutem continuatiuam non minus, quam ignis minor.

Confirmatur secundo: quia duo ignes non habent continuari ex se, ex eo, quod vnus alterum producat, sed ex eo, quod applicentur inter se contigue; unde si sic applicarentur, quamuis vnus alterum non produceret, adhuc continuarentur, nec continuatio illa sit virtute magis vnus, quam alterius: ergo quando sic applicaretur ignis aliquis igni maximo, continuarentur; & quamuis non esset ad illam continuationem virtus sufficiens in igne maximo (quod tamen ridiculum esset somnia

somniare) esset tamen in paruo igne applicato, modo sit in v llo igne.

64 Ad illud de corrigendo sensu, fateor eum debere saepe corrigi, sed non nisi, quando virget ratio: quod non contingit in proposito, vt patebit ex solutione obiectio- num.

Ad confirmationem respondeo, negando antecedens cuius falsitas patet ex duobus capitibus. Primo, quia de facto videmus hominem quæque peruenire ad talem terminum, vltra quæ nequit se augere virtute augmentatiua; sed de facto id non videmus de igne, vt fatentur ipsimet *Complutenfes* num. 16. & patet experientia. Secundo quia iidem Authores concedunt igni virtutem productiuam ignis vltioris vltra terminum suum, licet non vnituiam ipsius; sed tamē non admittunt hoc de virtute augmentatiua hominis.

Ratio etiam disparitatis est, quod augmentatiua virtus debilitetur per deperditionem partium, & acquisitionem partium imperfectiorum, ac actionem aliarum causarum successu temporis; & etiam propter indispositionem materiae, quam augere deberet, verbi gratia, ossium & neruorum, quæ, quo duriora sunt, eo minus sunt apta ad augmentum suscipiendum; ignis autem virtus non debilitatur per acquisitionem aliarum partium ignis; nec materia applicabilis, ideo redditur ineptior ad conuersionem sui in ignem.

65 *Probat*ur secunda pars conclusionis, de termino paruitatis: quia assignata minima parte ignis, sub qua minori non posset existere secundum aduersarios: illa pars esset diuisibilis, alias non esset continua, aut continuum componeretur ex indiuisibilibus (cuius oppositum hic supponimus; nam si componeretur ex indiuisibilibus, pars illa, quæ constaret ex duobus indiuisibilibus, esset minima pars continua, qua minor non posset dari, quæ esset continua, & absolute, & simpliciter indiuisibile esset minima pars continui, qua minor non posset dari, quamuis non esset pars continua, cum non esset constans partibus) sed si diuideretur, non eo ipso præcisè, quo diuideretur, deberet definire ignis sub vtraque parte: ergo non potest assignari minimus terminus huiusmodi corporum.

Confirmatur: quia materia prima, quæ est sub quantitate ignis illius minimi, non potest annihilari, aut destrui facta diuisione illius ignis: ergo materia prima non habet terminum paruitatis suæ: sed certe, si materia non habet, nec alia corpora homogenea habent ex se talem terminum, quia est eadem ratio de ipsis, ac de materia prima quantum ad hoc.

Respondent Complutenfes primo, retorquendo argumentum contra Scotum assignantem viuentibus terminum paruitatis: sed de hoc postea conclusione sequenti.

66 *Respondent secundo*, "posse quidem ignem minimum diuidi; sed non futurum eum tum in termino debite dispositionis, ac conseruationis.

Contra: quia præterquam quod hoc sit euadere difficultatem, recedendo ab ipsa vera controuersia, quæ est, an reuera detur terminus magnitudinis, quoad paruitatem, qualem secundum hanc responsionē absolute concedunt *Complutenfes* non minus, quā *Scotistæ*; præter, in quā hoc ex illa diuisione præcisè non oritur, quod vlla pars ex illis partibus per se sit minus in statu debite dispositionis quam ante: neque enim ex diuisione præcisè vlla pars ex partibus relictis, perdit aliquā qualitatem conseruationis suæ; & si non accederet actio aliqua causarum aliarum, semper conseruaretur in esse qualibet pars post diuisionem; tam bene, quam pars ipsa diuisa: ergo ex se esset in statu debite dispositionis. Verum quidem est quod diuisio illa conduceret ad hoc, vt posset facilius corrumpi, quia vtraque pars simul sumpta fortius resisteret contrariis, quam alterutra seorsum sumpta: sed hoc est per accidens, & à nullo negatur.

Confirmatur: quia etiam illa pars, quā aduersarij dicunt minimā, potest dici esse in statu corruptionis, ac non esset consequenter in statu debite dispositionis ac conseruationis, sicut ipsi dicunt de partibus, in quas diuideretur: ergo

responsio est nulla. Probat^{ur} antecedens: quia sine dubio ipsi assignabunt valde paruam partem, verbi gratia, scintillam aliquam exiguam ignis pro minima parte, quam assignent pro termino magnitudinis, quoad paruitatem sed certū est illam exiguam partem facile ab agentibus contrariis corrumpi, & eam naturaliter de facto non diu persistere: ergo potest dici, quod non sit in statu debite dispositionis, ac conseruationis.

67 *Respondent alij*, partem minimam ignis, verbi gratia, posse quidem diuidi, vt quanta est, non tamen vt est substantialis.

Contra primo, quia cuiuslibet parti ex partibus ipsius quantitatatis correspondet sua propria pars substantiæ; nec enim est eadē pars, quæ est sub vtraque parte: ergo diuisa quantitate, maneret sub ipsa naturaliter sua propria pars istius substantiæ; nisi poneretur aliquid agēs extrinsecū, quod eā corrūperet; de quo casu non loquimur, quia est per accidens, quod adesset tale agēs, & deficit substantiæ non oriretur ex eo quod substantia illa haberet terminum magnitudinis quoad paruitatem ex natura, sed ex eo, quod adesset aliqua causa extrinseca corrumpens, quod valde hic aduertendum est.

Conimbricenses aiunt, posse quidem diuidi illam substantiam minimam, & quoad quantitatem, & quoad substantiam, sed non posse illam produci, aut conseruari in minore quantitate, quam sit quantitas illa minima; quia natura nequit generare, aut conseruare aliquid, nisi in ordine ad operationem; determinata autem magnitudo requiritur ad operationem.

Contra: quia qualibet pars in partibus inclusis in parte minima, est determinata, & habet etiam determinatam operationem sibi correspondentem: ergo quantum ad hoc nihil deest, quominus & produci & conseruari possit à natura.

68 *Probat*ur secundo eadem pars conclusionis & simul impugnatur responsio *Conimbricensium*: agēs naturale approximatum passo diuisibili, prius, & fortius agit in partes viciniores, quam remotiores: ergo quacumque minima parte stupæ applicata igni, v. g. ignis ager prius in parte viciniore ipsius, quam remotiori: ergo natura habet virtutem generatiuam formæ in minori magnitudine, quam sit minima vlla determinabilis: quod si possit generari in minori quantitate, poterit etiam & conseruari, quantum est ex natura sua.

Respondent Complutenfes, non posse produci formam in parte viciniore, donec dispositio qualitatiua necessaria introducat^{ur} per totam partem minimam, quoad partes viciniores, ac remotiores.

Contra: quia dispositio qualitatiua requisita ad introducendam formam prius producit^{ur} in parte viciniore: ergo & ipsa forma.

Confirmatur: quia absurdum videtur, quod ad introductionem formæ diuisibilis, cuius pars reperitur in hac parte, sit dependentia vlla à dispositione alterius partis eiusdem rationis, in quam illa pars formæ introduci nequit, præsertim si forma non sit actus corporis organici. Adde gratis dici quod dispositio illa debeat introduci in totam illam partem minimam, & inde sequi quod agēs naturale non prius ageret in partem propinquam, quam remotam, dum producit formam homogeneam non respicientem essentialiter subiectum diuersarum partium heterogenearum.

Confirmatur: quia si ignis minimæ quantitatatis poneretur extra Cælum, posset ab Angelo diuidi: & tum quæro, an maneret pars ignis sub qualibet parte quantitat^{is} necne. Si sic, habeo intentū, si non, ergo annihilaretur materia prima, vel diuisa maneret sine forma, quod nequit fieri

secundum Thomistas diuinitus: & qua ratione materia potest esse sub minori quantitate, posset etiam esse ipsa forma: non posset autem annihilari virtute creata.

Caietanus respondet annihilandam, sed virtute tamen diuina.

Contra: quia nihil obligaret Deum ad ipsam annihilandam.

Respondens Comibricenses: Angelum non posse diuidere illam.

Sed contra: quia nihil impedit, cum sit diuisibilis: si tamen Angelus potest diuidere aliquid continuum.

69 *Obiicies* contra primam partem Philosophum 1. de anima tex. 41. dicentem: *Eorum omnium quæ à natura sunt, est finis tam magnitudinis, quam accretionis.*

Respondetur, eum loqui de viuientibus neque refert, quod loquatur vniuersaliter de constantibus natura, quia capit a quando naturam pro vita, & quod ita capiat hoc loco manifestum videtur, quia alias falsum esset, quod dicit, nam inanimata, quæ constant natura in alio sensu, non habent terminum, aut finem accretionis proprie loquendo, quandoquidem crescere proprie conueniat solis viuientibus.

Obiicies secundo: omnis forma naturalis est definita ad certam, ac determinatam perfectionem: ergo & ad determinatam quantitatem.

Confirmatur: quia ex eo, quod sit determinata ad certam perfectionem, petit qualitates conseruatiuas in certo termino: sed quantitas est dispositio conseruatiua: ergo petit illam in certo termino.

Respondet distinguendo antecedens: quoad speciem, concedo antecedens, quoad extensionem, aut numerum effectuum à se producendorum, nego antecedens, & consequentiam: Quod autem non sit determinata ad certam perfectionem, quoad extensionem, aut numerum, patet, quia hic numero ignis potest producere infinitos, & ipsi met *Comibricenses* concedunt, ignem maximum, qui potest dari, posse producere alias partes ignis.

Ad confirmationem respondet similiter distinguendo antecedens: petit qualitates conseruatiuas in certo termino intensionis, transeat; extensionis, nego antecedens, & concessa minori, nego consequentiam: quia tam bene potest disponere ad conseruationem ipsius in maiori quantitate quacumque, quam in minori.

70 *Respondetur potest secundo* ad obiectionem & confirmationem, omnem quidem formam finitam habere determinatam perfectionem & quantitatem, ac qualitates conseruatiuas tam quoad intensionem, quam quoad extensionem: ita ut eadem numero forma sine additione aliarum partium nequeat esse sub maiori, ac minori quantitate in infinitum, saltem naturaliter loquendo: sed non ita quin possit esse sub maiori quantitate, modo adiungatur ipsi alie partes. In hoc autem sensu, in quo solum vera sunt antecedens probationis, & maior confirmationis, non faciunt ad propositum, quia non contendimus, quod forma trium palmarum possit esse sub quantitate centum palmarum. Itaque bene potest ignis trium palmarum esse determinatus ad comburendum tanto tempore tantum materie sibi applicata, ita, ut amplius pro eodem tempore nihil comburere possit: sed idem ignis auctus per ignem tum productum poterit sine dubio vltiore igne producere. Imo argumentum aduersariorum retorqueri potest: formæ sunt ita determinatæ ad agendum, ut quo maiores sunt, plus possint ceteris paribus, quam quæ minores, ergo ignis maximus plus poterit quam minimus: ergo si minimus potest adiungere sibi alias partes, poterit & maximus, nisi ostendatur impedimentum.

Confirmatur: quia ignis quicumque haberet determinatam perfectionem, quamuis posset augeri in infinitum: ergo ex determinata sua perfectione non sequitur, quin sic possit augeri.

Probatur antecedens: quia haberet determinatam perfectionem: tum quia non posset quacumque facere, nec esset infinita perfectionis; tum quia non posset agere, nisi intra certam, ac determinatam spheram: tum quia non posset tanto tempore, nisi tot alias partes sibi vniuer-

quia non posset absque additione partium, nisi tantum quantitatis accipere, & tantum loci replere: sed non obstantibus his determinationibus posset augeri quicumque ignis finitus cuiuscumque magnitudinis. Quod autem vltus ignis habeat talē determinationē, ut augeri non possit, aut fieri minor extensius, nunquam probari poterit ab aduersarijs.

71 *Obiicies* contra secundam partem: potest esse tam exigua materia, in qua forma non viuientis, verbi gratia ignis, nequeat operari: ergo nequit naturaliter conseruari sub illa forma.

Respondet negando antecedens, quia in quantumvis minima materia potest aliquam operationem minimam correspondentem exercere.

Obiicies secundo: si non viuientia possint esse sub quacumque minima quantitate, maxime quia essent homogenea: sed hæc ratio nihil probat, quia alias forma viuientium nata informare carnem homogeneam posset esse sub minori & minori quantitate: ergo, &c.

Respondetur distinguendo maiorem: quia sunt homogenea quomodocumque: nego maiorem; quia sunt homogenea non ordinata ad constitutionem corporis organici, nec nata informari ab anima, quæ est actus corporis organici, concedo maiorem, & nego minorem in sensu, quo conceditur maior, nec in illo sensu probatur, sed in alio sensu; & nego etiam consequentiam.

CONCLUSIO II.

72 *Viuientia habent determinatum terminum magnitudinis, ac etiam paruitatis sic, ut virtute sua propria non possint augere se vltius, nec subsistere in quacumque minima quantitate.* Hæc est communis cum Philosopho 4. de generatione animalium c. 5. & 2. de anima tex. 41. quem sequitur Scotus 2. d. 2. q. 9. D. Thomas 1. p. q. 7. eorumque sequaces cum recentioribus.

Probatur prima pars, experientia, qua constat animala non crescere, quando perueniunt ad certum terminum: cuius ratio à priori potest esse, vel quod calor naturalis deficiens ad augmentum deficiat paulatim, fiatque remissior adeo, ut non possit tantum substantiæ producere, quantum possit sufficere ad augmentum, vel quod ossa, cartilagine, ac nervi successu temporis adeo indurentur, ut non sint apti ad recipiendum plus alimenti per inra susceptionem: Quod si per infirmitatem tumeat aliqua pars hominis, verbi gratia, vltra magnitudinem, quam haberet alias, adhuc datur terminus ipsiusmet magnitudinis, quæ per tumefactionem acquirere potest: neque enim tumescere potest ad quacumque magnitudinem, proinde crepare solent quandoque partes tumefactæ, & homines mori, quia scilicet non patiuntur vltiorem tumefactionem.

Probatur secundo: quia nimia magnitudo officeret operationibus viuentium connaturalibus: ergo non est verisimile datam esse virtutem à natura perueniendi ad illam magnitudinem.

Probatur secunda pars: quia viuientia constant anima & corpore organico habent e partes, ac membra diuersæ rationis, quæ exigunt aliquam determinatam quantitatem, ut apta sint ad functiones vitæ: ergo nisi habeant illam quantitatem, non possunt viuere: sed illa non habere in quacumque minima quantitate: ergo.

Confirmatur utraque pars: quia non est verisimile, quod possit homo esse tam paruus naturaliter loquendo, ac formica, aut formica tam magna, quam homo magnus: ergo homo habet terminum paruitatis & formica magnitudinis: sed non est maior ratio de illis, quam de reliquis viuentibus: ergo de omnibus idem dicendum est.

73 *Obiicies*: si homo esset inter terminum magnitudinis suæ, adhuc posset per infirmitatem tumescere; & si esset in termino paruitatis, posset extenuari: ergo non habet talem terminum.

Respondet, ex dictis antea, hominem posse habere alium terminum magnitudinis & paruitatis, quantum ad statum naturalem supposita sanitate, & alium quantum ad statum violentum, & infirmitatis superuenientis ita, ut vltra magnitudinem, quæ posset habere in statu sanitatis, posset vltius

ulterius habere maiorem magnitudinē in statu infirmitatis, sed non nisi vsque ad certam periodum; & similiter discurrendum de termino paruitatis. Vnde in forma respondeo distinguendo antecedens: si esset in termino magnitudinis, quoad statum connaturalem tantum, concedo antecedens, & nego consequentiam; si esset in termino magnitudinis quoad statum connaturalem, & statum etiam infirmitatis superuenientis, nego antecedens.

74. *Dicitur*, si homo existens in termino magnitudinis maioris, quam posset habere quoad utrumque statum, desineret per introductionē nouæ quantitatis, aut magnitudinis, deberet desinere in tempore, quod est contra omnes: sed deberet desinere per introductionē nouæ quantitatis, si haberet terminum magnitudinis, ultra quam crescere non posset: ergo non habet talem terminum.

Respondeo negando sequelam maioris: desineret enim in instanti extrinseco istius temporis, quo deberet acquiri noua quantitas ita, ut verum esset dicere: in hoc instanti est, & immediate post non erit.

Confirmatur hoc: quia certum est quod homo desinat esse de facto, propter introductionem dispositionū contrariarum suis dispositionibus necessariis, quæ dispositiones producuntur in tempore non minus, quam quantitas: ergo vel saluatur desitio hominis in tempore, & sic poterit saluari in casu obiectionis; vel non obstante productione temporaria dispositionum illarum non fiet desitio hominis in tempore: & eodem modo potest dici in casu nostro; vnde quidquid dicunt aduersarij in hoc casu, nos poterimus dicere in casu ab ipsis obiecto. Et hæc sufficiant de libro sexto physicorum.



LIBER VII.

PHYSICORVM.

DE duabus difficultatibus, quas hoc Libro tractat Philosophus, agit etiam libro sequenti; vnde non defuere qui hunc librum ipsius esse dubitauerunt. At eum ipsi ascribunt *Simplicius*, *Auroras* & ceteri commentatores, & certe stylus ac doctrina correspondet, nec insuetum est eadem bis repeti in diuersis partibus.



DISPUTATIO XIX.

DE DVABVS CONDITIONIBVS
requisitis, ut aliquid moueatur.

IN hac disputatione quidquid ad duas difficultates hoc libro contentas spectat, examinabo: quarum prima est, utrum omne quod mouetur, ab alio realiter distincto moueatur. Secunda: utrum agens debeat simul esse cum passio.

QVÆSTIO I.

Utrum quidquid mouetur, ab alio moueatur.

Propositio hic in dubium reuocata, videtur esse expressa sententia Aristotelis hoc libro, quem sic intelligit *D. Thomas*, & plures Thomistæ, quos citant, & sequuntur *Complutenses* hic.

Oppositam tamen sententiam, nempe aliquid à se ipso moueri posse, tenet *Scotus* in 2. disput. 2. questione 10. quem præter suos sequuntur plures recentiores & nominatim *Auersa* quæst. 14. sect. 5. & *Arriaga* dis. 3. de generatione sect. 10.

Pro solutione difficultatis aduertendum, triplicem esse motum, de quo hæc difficultas examinari potest. Primus est intentionalis, quo scilicet potentia vitales mouentur ad actus vitales. Secundus emanatiuus, ut ita dicam, ille scilicet, quo mouetur subiectum ad formam, quæ emanat ab ipso, & non producitur. Tertius est physicus, & realis, quo subiectum mouetur ad formam, quæ nec emanat ab ipso, nec producitur intentionaliter, sed vere & physice.

Ut autem certa ab incertis separaretur suppono 1. quod quidquid mouetur, ab alio mouetur in eo sensu, ut nihil possit mouere se absque dependentia ab aliquo alio distincto realiter, & ut idem non possit mouere se tanquam causa totalis. Hæc resolutio est communis, & certa, cuius ratio est, quia nihil potest moueri nisi creatura, sed nulla creatura potest mouere se, aut vilo modo agere absque dependentia à creatore: creator autem distinguitur realiter ab omni creatura: ergo quidquid mouetur, ab alio mouetur in hoc sensu; & hoc ipsum est quod aliis verbis dici solet nihil moueri à se ipso tanquam à causa totali.

2. *Suppono secundo*, quod aliquid potest mouere seipsum, tanquam causa efficiens partialis secunda. Hæc resolutio est etiam communis & patet manifeste, quia intellectus sic mouet seipsum partialiter ad intellectionem, ad quam producendum concurrunt partialiter cum obiecto aut specie obiecti.

Suppono tertio, nullam causam naturalem secundam posse mouere se de nouo absque aliqua dependentia ab aliquo extrinseco, naturaliter loquendo, quia si absque dependentia ab aliquo extrinseco haberet mouere se, quandoquidem naturaliter agat, deberet æque producere effectum ante, ac tum cum producit ipsum de nouo, ut patet.

Confirmatur: quia quando graue descendit de nouo deorsum, tollitur impedimentum aliquod talis motus, quale non erat antea ablatum; & quando aqua producit in se frigus de nouo, remouentur agentia calefacientia, quæ antea erant applicata; & denique quando subiectum producit in se relationem intrinsecus aduenientem de nouo, ponitur de nouo terminus aut aliqua conditio noua, quæ ante non fuit posita.

Ex quibus patet, sensum controuersie esse, an aliquid possit à se moueri, tanquam à causa totali secunda absque dependentia à concursu effectiuo alterius causæ secundæ concurrentis cum ipso immediate ad efficiendā formam ad quam mouetur, supposito solum concursu vniuersali Dei. Fortassis etiam esse posset controuersia cum Thomistis, an posset aliquid mouere se motu physico tanquam causa partialis secunda: quauis enim id non possent negere de motu intentionali, propter exemplum intellectus; tamen forte id negarent de motu physico: sed si ostendatur posse aliquid mouere se motu physico, tanquam causa effectiua totalis secunda, à fortiori sequeretur quod poterit mouere se, tanquam causa partialis.

CONCLUSIO.

3. *Potest aliquid mouere seipsum, tanquam causa effectiua totalis secunda, non solum motu emanatiuo, & intentionali, sed etiam physico.* Hæc est iuxta secundam sententiam præmissam, & quoad vltimam partem est contra primam Thomistarum sententiam.

*Probat*ur primo, quoad motum emanatiuum; talis est motus, quo subiectum mouet se ad relationem, quæ ab ipso emanat posito termino: sed illa relatio non habet aliam causam emanatiuam, quam illud subiectum, neque enim terminus habet alium influxum in illam, quam conditionis sine qua non, ut communiter asseritur: ergo aliquid potest mouere seipsum, tanquam causa totalis motu emanatiuo.

*Probat*ur secundo, quoad motum intentionalem: quia, ut suppono ex dicendis in libris de anima, & communiter tenetur, voluntas est causa totalis efficiens volitionis: ergo mouet se motu intentionali tanquam causa totalis secunda, motus enim ad volitionem est motus intentionalis, ut omnes supponunt.

*Probat*ur tertio, quoad motum realem physicum, quo

Quidquid mouetur ab alio mouetur in eo sensu, ut nihil possit mouere se tanquam causa totalis.

Aliquid potest mouere seipsum, tanquam causa efficiens partialis, etc.